

SOLO FAVENTE DEO.
 Conclusiones Juridicæ,
 De
I N V E N T A R I O
H E R E D I S,

*Ad intellectum L. Scimus. 22. final. C. de Jure
 deliberandi. Et Novel. 1. cap. 2.*

Quas

Consensu inclutæ facultatis Juridicæ

L I P S I E N S I S

S I G I S M U N D U S F I N C K E L T H A U S
 I. U. D. & P. P.

Disquisitioni publicæ subjicit,

&

Respondendo defendet

Johann Christoff Löhner Cizensis.

*Ad diem 17. Julii, horis in auditorio Jure-
 consultorum consuetis.*

L I P S I Æ

Excudebat **J U S T U S J A N S O N I U S D A N U S.**

A N N O

M. DC. XXIII.

Sacrae Cæsareæ Majestatis, Sancti-
q; Imperii Romani Archicubiculi Custodi
Hæreditario,

Nec non

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,

Dn. IOHANNIS
GEORGII,

Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae, Montium, ejusdem Sacro-
Sancti Imperii Archimarschalli & Electoris, Landgravii Thu-
ringiae, Marchionis Misniae, Burggravii Magdeburgensis,
Comitis in Marcâ & Ravensburg, Domini
in Ravenstein &c.

Domini sui Clementissimi.

Consiliario Intimo, Laudatissimo, Dignissimoq;

V I R O

Perantiqui Stemmatis insignibus, verae Nobilitatis, id est, Eruditionis, omniumq; virtutum Luminibus
perillustri

Dn. GEORGIO à Werthern / *ibidem nec non*
ditionum Reichlingen / Wiehe / Frohdorff & Brucken &c.
Domino,

Domino Patrono, Faurori ac Promotori suo, quovis pietatis
& observantiae cultu suspiciendo,

*Hic disputationis publicae factus in observantiae perpetuae
testimonium, & commendationis vigorem*

Dicatur & devotè consecratur à

Johann Christoph Löhner / *Respon.*

CONCLUSIO I.



Inventarii heredis beneficium (a) in *Theorico* juris studio nobilissimū & celeberrimum, in *Practico* verò frequentissimum & utilissimum est. (b) Quocirca recessus ejus ex sedibus ordinariis (c) hīc investigare placet.

(a) Beneficium rectè nominatur per *Text. in l. Scimus. 22. final. in princ. ver. Ex omnibus itaq.* Et §. *Sin autem 14. ibi: nostræ legis uti beneficio. C. de jure deliberan. §. Extraneu. 5. ver. Sed nostra benevolentia. ibi: hoc beneficium. I. de hered. qual. & different. Ratio est, quia heredi per illud maximè consulitur. Videantur infra conclus. 43. 44. & seqq.*

(b) Ita etiam ferè commendat hanc Inventarii materiam *Rolan. à Valle* his verbis: *Etsi, inquit, Materia confectiois Inventarii, teste Baldo in consil. 145. in princ. vol. 4. sit res adeò scrupulosa, ut sæpè industriosi in ipsius confectioe decipiantur: Est tamen frequens, perutilis & quotidiana, & singulis ferè horis in palatiis versatur ad communem omnium utilitatem. Tract. de confect. Inventar. in princ. prefationis.*

(c) Puta *l. Scimus. 22. final. C. de jure deliberan. Nov. 1. cap. 2. Sed* quaritur: *An d. l. final. per Nov. 1. c. 2. abrogetur? Neg. Arg. d. Nov. 1. cap. 2. §. Si verò. 2. versic. Et hoc dicimus, non nostram minuentes legem. Interdum tamen aliquid adjicitur: Ut in d. cap. 2. §. 1. ubi, si creditores & legatarii sunt absentes, iis præter tabularium etiam tres testes idonei adhiberi debent. Interdum & In-*

Q.

inventarii

inventarii jus per correctionem antiquioris juris ampliatur, ut
in Milite. d. Nov. 1. cap. 4. §. 2.

II.

Inventarium ab inveniando appellatur, quod
res hereditariae in eo descriptae inveniuntur, ut
quot, quantae, quales, & ubi sint, constare possit.

Arg. l. veteris 13. fin. versic. Sin a. inventario. ibi: res pupillares vel adultas
inscripserit. C. arbitr. tutela. l. si vacantia. s. fina. ibi: quantumq; vel quale
videatur. C. de bonis vacantibus. Vocari potest & Repertorium. arg.
l. Tutor. 7. ff. de adminis. tutor. Ut n. ibi res pupilli, ita & hic res
hereditariae descriptae reperiuntur.

III.

Est verò Inventarium heredis, Instrumentum
publicum, (a) solennem, (b) rerum hereditiarum,
(c) descriptionem continens.

(a) Arg. l. veteris. 13. fin. versic. Sin a. ibi: inventario publicè factò.
Et ibi: in publico inventario scribi. C. arbitr. tutela. l. de creationibus. 27. ibi:
& inventario publicè conscripto. C. de Episcopali audient. arg. l. tabularum.
2. ibi: publicum est instrumentum. ff. testam. quemadm. aperiantur. Ratio
est, quia in eo publica persona, nempe tabellio cum testibus
fuit adhibitus. arg. l. 3. & 4. C. de tabulariis. Videantur infra Con-
clus. 24. 25. 28.

(b) l. tutores. 27. ibi: solenniter facere curabunt. C. de administ. tu-
tor. l. fin. §. Sin a. 2. C. h. t. ubi solennia seu requisita formalia re-
censentur.

(c) d. l. fin. §. Sin a. 2. ibi: super his rebus, quas defunctus mortis tem-
pore habebat. C. h. t.

(d) Nov. 1. cap. 2. §. 1. versic. tunc n. licentia. ibi: & facere descriptionē.

IV.

Conficit Inventarium heres, (a) cujuscunq;
sit conditionis. (b)

(a) Text.

(a) **Text.** in l. fin. in fin. princ. ibi: Ad omnes, scilicet heredes, hoc extendere. Et §. 2. ibi: omni tamen modo inventarium ab ipso, scilicet herede conficiatur. C. h. t. Nov. 1. cap. 2. §. 1. ibi: fiat igitur inventarium ab herede. Ratio est, quia heres in universum jus defuncti succedit. l. nihil est. 24. de V. S. ideo & æs alienum exolvere creditoribus tenetur. l. æris alieni. 15. C. de donation. etiam ultra vires hereditatis. l. si te boni. 10. C. h. t. non secus ac si hereditas revera solvendo fuisset. arg. l. liberorum. 36. ff. de bonis libertor. nisi hoc beneficium arripiat, tunc enim ultra vires hereditatis conveniri nequit. Concluf. 44.

(b) **Arg.** Nov. 1. cap. 4. §. 2. ibi: Et in omni persona. Et ibi: omnibus hominibus. Sive sit Imperator, fortè heres à privato scriptus. Nov. 1. cap. 4. §. 2. in fi. ibi: sive Imperiali. Ratio est, quia & Imperator ut privatus vult jure communi uti. l. cum herede. 7. C. qui testa. facere poss. siquidem nihil tam proprium imperii est, quam legibus vivere. l. ex imperfecto 3. l. nolimus. 20. C. de testam. l. digna vox. 4. C. de legibus. **Nobilis sit sive Ignobilis, Civis sive Rusticus, Dives sive Pauper.** d. Nov. 1. c. 4. §. 2. in fi. ibi: sive alterius cujuslibet. §. extraneis. 5. versic. sed nostra. ibi: commune omnibus subjectis imperio. l. de hered. qual. & differ. **Paganus seu Privatus sit, sive Miles,** d. Nov. 1. cap. 4. §. 2. ibi: sive privata, sive militari. **Laicus sive Clericus,** d. §. 2. ib: sive sacerdotali, sive alterius cujuslibet. Sive **Universalis sit heres, sive Particularis.** d. l. fin. §. 1. ibi: sive ex asse sive ex parte. C. h. t. Sive ex **Testamento, sive ab Intestato** succedat. d. l. fin. §. 1. ibi: sive ex testamento. Sive **Masculus sit sive Fœmina,** Ratio est (1.) quia & fœmina contrahere potest. l. 1. ibi: si id contrahentes. C. ad SC. Velleian. per hereditatis autem additionem quasi contrahitur. l. apud Iulianum. 3. §. 3. in fi. l. 4. seq. ff. quibus ex caus. in possess. eatur. §. heres 5. 1. de obl. que quasi ex contract. (2.) quia fœmina eidem juri cum masculo in contractibus submittitur, nec nisi in casibus jure expressis juvari solet. arg. l. fin. C. de juris & facti ignorant. (3.) propter generalitatem, d. Nov. 1. cap.

4. § 2. *ibi: & in omni persona. Et ibi: omnibus hominibus.* Quidam tamen inventarium ipsi præsentibus conficere jure prohibentur, ut sunt, Pupillus, minor, furiosus, fatuus, &c. Ratio est, imperfectum eorum iudicium: Hunc v. defectum tutores & curatores ipsorum supplere debent. *arg. d. Nov. 1. c. 4. §. 1. ibi: aut quosdam pro eis agentes, si forte personarum natura, aut etas.* Quamvis 2. pupilli & minores lege inventarii teneantur: per in integrum tamen restitutionem ipsis succurritur, si ex aditione hereditatis lædantur. *d. Nov. 1. cap. 4. §. 1. ibi: Et per restitutiones.* Sic si quis ob dignitatem, adversam valetudinem, vel alias ex necessitate aliqua impediatur, tum procurator intervenire potest. *arg. l. 1. §. usus. 2. ff. de procurator. d. Nov. 1. C. 4. §. 1. ibi: aut dignitas, aut qualibet necessitas.*

V

Sed quid si Heres sit fiduciarius, hoc est, qui reddere alii hereditatem rogatus est? num is, uti quidam putant, à solenni hac confectione Inventarii liber erit? Neg.

Ratio (1.) quia quamvis hereditatem fidei commissario heredi restituat, nihilominus tamē heres permanet. *§. restituta. 3. l. de fideicom. hered. cum qui semel heres extitit, heres esse non desinat. l. ei qui solvendo. 88. in fi. ff. de hered. instituend.* Siquidem uti hereditas tanquam verbum juris certâ lege & jure datur, ita per eadem etiam adimitur, non a. per voluntatem testatoris, vel restitutionem heredis, quæ sunt facti. *arg. l. nihil tam naturale. 35. de R. I.*

(2.) Quia adveniente tempore restitutionis verè sciri non potest, quæ bona fuerunt in hereditate & nunc sint restituenda. Cum igitur heres fiduciarius heredi fidei commissario teneatur reddere rationem. *l. cum tale. 72. §. quid ergo. 3. ff. de conditio. & demonstr. E. & conficere tenetur inventarium. arg. l. 1. §. officio. 3. ff. de tutela & ration. distrabend.*

(3.) Quia ut alius heres, ita & hic suspicionem subreptionis & ma.

& malignitatis non evitat, arg. d. Nov. 1. cap. 2. in pr. ibi: quæ fortè surripiunt. Siquidem fieri potest, ut & ipse aliquando obnoxie res suas gerat. arg. Nov. Leon. 39. in princ.

(4.) Quia heres fiduciarius potest quartam Trebellianicam ex hereditate retinere. §. sed quia. 5. & §. sed quia stipulationes. 7. l. de fideic. hered. Id quod fieri non potest, nisi inventarium legitime conficiat.

VI.

Nec excusatus est heres fideicommissarius universalis, hoc est, cui ex fideicommissio heres restituit hereditatem.

Ratio (1.) quia fideicommissarius, licet verè ac proprie heres non efficiatur, tùm quia non possunt duo ejusdem rei esse domini in solidum, l. si ut certo. 5. §. si duobus. 15. ff. commodati. heredem autem esse, est dominum esse rei alicujus. §. item extraneus. 6. versic. pro herede enim gerere l. de hered. qual. & different. tùm quia prætor, ex cujus auctoritate fideicommissa pendent, §. 1. in fi. l. de fideic. hered. neq; heredem neq; dominum facere potest: princ. versic. quos a. solus. l. de honor. possess. Tenet tamen locum heredis. l. si filiusfam 5. §. 1. ibi: quia effectus quodammodo heres est. ff. quod cum eo qui in aliena potesta. l. postulante. 44. §. 1. ibi: haberi heredis loco pro qua parte ei restituta esset hereditas. ff. ad Sc. Trebellian. Vnde hereditate restituta, omnia onera hereditaria subire cogitur, §. restituta 3. l. de fideicom. hered. Et omnes actiones, quæ in heredem directum competunt, eadem & in fideicommissarium dantur, sed tamen utiles tantum. §. Et Neronis. 4. §. sed quia. 7. l. d. tit.

(2.) Quia subtractionis rerum hereditariarum libido, quam lex in herede non conficiente inventarium præsumit, Nov. 1. cap. 2. pr. versic. Sancimus. ibi: quæ fortè surripiunt, & quæ in fideicommissarium, ut in alium quemvis heredem cadere potest, ut propterea melioris conditionis esse nequeat.

VII.

Solet hinc quæri: An inventarium ab herede
fiduciario

fiduciario ritè confectum, heredi quoq; fideicommissario proffit? Affirm.

Ratio (1.) quia Inventarium solenniter semel confectum non est unius hominis, hoc est, heredis, sed universorum quorum interest. *arg. l. tabularum. 2. ff. quemadmodum testam. aperian. quin potius publicum est instrumentum. arg. d. l. generali. 3. C. de tabular. l. actuarios. 7. C. de numerariis.*

(2.) Quia naturali rationi convenit, ut qui onera sentit in excipiendis actionibus, is etiam commoda percipere debeat in defensionibus. *l. secundum naturam. 10. de R. l. Atqui fideicommissarius vicem gerit veri heredis, omniaq; onera sustinet. l. si filius. 5. §. 1. ff. quod cum eo qui in alie. potest. l. postulante. 44. §. 1. l. qui totam. 45. in fi. ff. ad Sct. Trebellian. E.*

(3.) Quia jam revera ex inventario fiduciarii apparet, quantum in bonis defuncti fuerit, nihilq; fraudis in rebus occultandis commissum esse, E. non tam diligentioris quam curiosioris cujusdam esse videtur, de ulteriori confectioe inventarii laborare.

VIII.

Ulterius indagatur: An fideicommissarius inventario fiduciarii possit uti absq; cessione? Aff.

Ratio (1.) quia omnes actiones quæ heredi & in heredem competunt, ei & in eum utiliter dantur, cui ex fideicommissio restituta est hereditas. *§. Et Neronis. 4. §. sed quia. 7. I. de fideic. hered.*

(2.) Quia alia est ratio contractuum privatim nomine proprio initorum, alia instrumentorum publicorum; Obligationes enim quas privatim sibi suo facto acquisivit heres stipulando, non prosunt fideicommissario absq; cessione speciali. *arg. l. stipulatio. 38. §. alteri. 17. ff. de V. obl. Instrumenta verò publica, cum publicam faciant fidem, & omniū, quorum interest, causâ conficiantur, ideò & omnibus prosunt, arg. l. 2. ff. quemadmodum*

dum testam. aperiantur. Et sic cum Inventarium quoq; sit instru-
mentum publicum. *l. fin. ibi: inventario publice facto. C. arbitratu-
lo.* non immerito absq; celsione fideicommissario proderit.

IX.

Nec immunis est à confectione Inventarii
Substitutus heres.

Ratio est, quia ea quæ paritate rationis inter sese devinci-
untur, eadem quoq; juris dispositione comprehenduntur.
*l. illud 32. ff. ad L. Aquil. l. hirsolm. 7. §. actionem. 2. ibi: satis etiam tacite
cautum. C. de revocan. donation.* At verò non minus substitutus
quàm primus institutus suspicioni de factâ occultatione sub-
jectus est. *arg. Nov. 1. cap. 2. princ. versic. Sancimus igitur. ibi: que forte
sarripiunt.* Ergò idem jus in substituto statuendum est, ut scilicet
& ipse inventariam conficiat, nisi promissis commodis *infr.
conclus. 44. 48. 55. 57. seqq. privari, & pœnis legitimis infr. conclus. 64.
67. 70. 71. subjici malit. arg. l. fin. §. Sin v. 12. ibi: nec legis nostræ beneficio,
G. h. 15.*

X.

Non est hoc loco prætereunda illa quæstio:
Si primus heres inventarium confecit, an illud &
substituto prodesse possit? Disting.

Vulgariter substitutus gaudet Inventario primi heredis,
quemadmodum fideicommissario prodest Inventarium à fi-
duciario confectum, per rationes *supr. conclus. 7. adductas.*
Pupillariter autem substitutus suo quoq; nomine inventariū
ad evitanda pericula, quæ ex omissione ejus imminet, confi-
cere cogitur. Ratio est, quia sunt duæ quodammodo hæredi-
tates, hic enim pupillariter substitutus, & patris substituentis
& pupilli heres existit. *§. Igitur. 2. 1. de pupilla. subst.* Interest igitur
creditorum pupillarium non minus de pupilli quàm patris
bonis Inventarium fieri, aliàs pupillariter substitutus credito-
ribus in solidam omninò tenebitur.

De

De Ecclesia, & Monasterio herede instituto
controvertitur, num teneantur inventarium con-
scribere? Affir.

Ratio (1.) quia generalis definitio est, quod omni heredi
confectio inventarii incumbat. *Nov. 1. c. 4. §. 2. ibi: Sive alterius cu-
juslibet.* Ad hanc recurrendum est, donec de Exceptione vel
privilegio Ecclesie vel monasterio competente doceatur, arg.
*l. suus quoq. 4. §. 1. ibi: propter quae ad generalem definitionem recurrendum
est. ff. de heredibus instituend.*

(2.) Quia *d. Nov. 1.* specialiter sacerdotales personas no-
minat & exprimit. *d. Nov. 1. cap. 4. §. 2. ibi: Sive sacerdotali.*

(3.) Quia & in Ecclesie & Monasterii Oeconomus & ad-
ministratores, qui Ecclesie nomine heredes instituuntur, & he-
reditatem adeunt, recipiunt, administrant, eadem ut in reli-
quos heredes scriptos, sinistra omisi inventarii commissaque;
malignitatis suspicio cadere potest. *d. Nov. 1. c. 2. pr. versic: Sanci-
mus. ibi: quae forte subripiunt.*

(4.) Quia iure Canonico hac in re nihil est mutatum,
ideò non praesumitur illud à jure civili discrepare, sed potius
leges imitari velle, arg. *c. 1. §. 2. ex. de novi operis nunciat.* Imò ex-
pressè inventarii mentionem facit jus Canonicum in *cap. Rai-
naldus. 18. in si. ex. de testament. E.* illud approbare expressè videtur.
Ac licet ulla in hac parte inter utrumque jus foret discrepantia,
Civile tamen Canonico praefendum esset, cum hinc agatur de
re civili, hoc est, hereditate, non verò de re Spirituali & Ecclesi-
astica. Illud tamen jus Ecclesia videtur salvum habere, ut si ju-
re hereditario succedit, adversus inventarii confectionem o-
missam, in integrum restitutionem petere possit. Ratio est,
quia Ecclesia utitur jure minoris. *cap. 1. ex. de in integr. restitut.*
Minor autem adversus ipsam omissionem restituitur. *Nov. 1.
cap. 4. §. 1.*

Nec



XII.

Nec Fiscus excludi potest: sive ut heres consideretur institutus, (a) sive ut possessor bonorum vacantium, quæ ipsi tanquam ultimi ordinis heredi deferuntur. (b)

(a) Ratio (1.) quia generalitas verborum in *d. Nov. 1. cap. 4. §. 2.* hoc exigit, quod enim expressè decisum non est, sub genere continetur, maximè cum nulla lex sit, quæ fiscum specialiter excipiat. *arg. l. in fraudem. 15. §. fina. ff. de testam. milit.*

(2.) Quia ipse Imperator sese non excludit. *d. Nov. 1. cap. 4. §. 2. ibi: sive imperiali.* E. nec fiscum exclusisse videri potest, ne fiscus sit melioris conditionis, quàm ipse Imperator heres scriptus. (3.) Quia fiscus regulariter jure defuncti sive heredis utitur. *l. fiscus. 6. ff. de iure fisci.*

(b) Ratio est, quia & bonorum possessor ad inventarii confectioem est obstrictus. *conclus. seq. 13.*

XIII.

Nec Bonorum possessor.

Ratio (1.) quia quamvis bonorum possessor in multis differat ab herede civili, quas differentias recensent prolixè *Hotoman. ad tit. Inst. de bonor. possess. in fine.* Et *Philip. Massusius ad rubr. C. qui admitti ad bonor. possess. n. 520.* Appellatione tamen heredis & bonorum possessor ex mente & voluntate legis continetur, quia in effectu heres, & bonorum possessor nihil differunt. Hinc in omnibus vice heredum bonorum possessores habentur: *l. 2. ff. de bonorum possess. in omni causa bonorum possessor heredis loco est; l. prator. 117. de R. I.* Bonorum possessio comoda & incommoda hereditaria, itemq; dominium rerum, non quidem civiliter, sed effectu & naturaliter tribuit. *l. 1. ff. de bonorum possess.* Vnde idem jus in utroq; regulariter militat, nisi evidens sit rationis diversitas, *arg. l. non est ambigendum. 12. §. 1. ff. de bon. poss. quæ tamen in primis in hac inventarii materia non*

B

apparet



apparet, imò eadem potius manifestò subest, dum uterq; com-
modis & oneribus hereditariis subiectus est.

(2.) Quia & bonorum possessor commissæ occultationis
notam incurrere potest. *arg. d. Nov. 1. c. 2. in pr.*

XIV.

Nec deniq; Pater in bonis liberorum.

Ratio est, quia pater liberorum heres est. *Nov. 118. cap. 2.*
Omnis autem heres absq; ulla distinctione ad inventarii con-
fectionem obligatus est. *Nov. 1. cap. 4. §. 2.* Olim quidem parens
bona quædam liberorum jure singulari non quasi heredita-
tem, sed quasi peculium habebat, *l. quod scitis. 3. ibi: ad liberos jure
hereditatis, non ad patres jure peculii. G. de bonis quæ liber. l. 2. ibi: non
quasi hereditas, sed quasi peculium. ff. de castrensi pecul. unde pater non
poterat tanquam heres succedere, quod enim semel patris est,
amplius ejus fieri nequit. arg. l. & an eadem. 14. §. actiones. 2. in fi. ff.
de Except. rei judic. Hodiè verò de jure Novellar. filiusfam. ab in-
testato habet heredem, & pater tanquam heres jure heredita-
rio venit. *d. Nov. 118. cap. 2. idè tenetur etiam conficere inven-
tarium, si de propria substantia, credita hereditaria supplere,
& præsumptæ suppressionis inculari nolit. d. Nov. 1. cap. 4. §. 2.**

XV.

Heredes autem plures, ad confectionem in-
ventarii tenentur omnes, nisi uni committant.

Ratio est, quia nihil refert, singuli aliquid expediant, an v.
unus omnium nomine à reliquis constitutus. *arg. l. si quis. 6. §. 1.
ff. de Edendo. l. ergo. 4. §. Creditoribus. 9. ibi: an verò omnium nomine uni ab
ipsis creato, ff. de fideicommissa. libertat. Et sanè ad vitandum expensas,
uni committere commodius est, vel omnes inventarium simul
facere. Idè recipit praxis, teste Mynsingero ad §. sed nostra. n. 25. in fin.
*Idè hered. qualit. & different.**

Ex

XVI.

Ex superioribus itaq; elucet, Legatarium & Donatarium non conficere inventarium.

Ratio (1.) quia propriè non sunt heredes defuncti, nec in universum jus ejus succedunt.

(2.) Quia nec legatum continet æs alienum, nunquam enim legatum legatario potest esse damnosum. *l. si hereditatem. 23. ff. mandati. nec donatio. l. æris alieni. 15. C. de donation.*

XVII.

Solemnia requisita inventarii conficiendi in hisce quatuor posita esse censemus. (1.) in Tempore. (2.) in Personis. (3.) in Subscriptione heredis. (4.) in Signo Crucis certo tamen casu ascribendo.

Quæ requisita referuntur in *l. fin. §. Sin autem. 2. & §. seq. 3. C. h. t. Nov. 1. cap. 2.*

XVIII.

Primum solenne Requisitum consistit in Tempore. Quod duplex est inchoationis & Absolutionis. Tempus inchoationis, hoc est, intra quod inventarium heres incipere debet, est 30. dierum. (a) Tempus absolutionis, hoc est, intra quod heres illud perficere debet, sunt alii duo Menses, si heres sit præsens, (b) sin

B 2

verò

XVX

verò absens, annus est, à morte testatoris nume-
randus. (c)

Q (a) Tex. in L. fin. §. Sin autem. 2. ibi: ut intra 30. dies C. h. t. Sive unius mensis. Ut enim alibi regulariter Mensis ex 30. diebus æstimandus est. l. si venditor. 28. ibi: intra duos Menses. junctà l. quod si nolit. 31. §. Si quid ita. 22. ibi: intra 60. dies ff. de edil. edicto. l. intestato. 3. §. de eo autem. 12. ff. de suis & legit. junctà l. septimo mense. 12. ff. de statu homin. Novel. 115. cap. 2. Ita & hoc calu. d. §. 2.

(b) Tex. in d. l. fin. §. 2. ibi: intra alios 60. dies. Et §. donec. 11. ibi: si res præstò sint, intra tres menses. C. h. t.

(c) d. l. fin. §. Sin autem à locis. 3. ibi: unius anni spatium. Et §. donec. 11. ibi: vel si abfuerint intra annale spatium. C. h. t.

Ratio certi temporis videtur esse hæc, ne heredes cunctando, creditores & Legatarios diu & pro libitu suspendant. Ratio verò tanti temporis, non videtur esse alia, quàm quod tantum tempus Imperator sufficere ad omnem hereditatem, etiam latissimè diffusam, inquirendam & describendam existimarit.

XIX.

Et hi dies 30. intra quos inchoandum est inventarium, non utiles sed continui (a) intelligendi sunt. (b)

(a) Tempus aliud continuum dicitur, aliud utile. l. 1. §. accusationem. 10. ff. ad Sct. Turpillian. l. mariti. 29. §. sex mensium. 5. in fi. l. quinquennium. 31. ff. ad l. Iul. de adulter.

Continuum tempus est, in quo numerantur dies feriati & non feriati. l. genero. 8. ff. de his qui notan. infa. l. nunquam. 31. §. 1. ff. de usurpat. & usucapion. l. quinquaginta. 38. ff. de Excusation. tutor. Utile tempus est, in quo non computantur dies feriati, sed juridici tantum, quibus scilicet magistratus sui copiam facit, æ juris.

juris experiendi facultatem concedit. *l. 1. ff. de divers. & temporal. prescription.*

(b) Ratio (1.) quia inventarium non debet judicialiter confici, sed potest etiam extra judicialiter in privatis ædibus coram Notario & in præsentia creditorum fieri, ut *infra conclus. 34.* dicetur. In talibus autem actibus extrajudicialibus dies potissimum spectantur continui, sicut in Judicialibus utiles, uti sub lit. a. prædictum est. (2.) Quia non reperitur in hac materia cautum, quod hi dies debeant esse utiles. (3.) Quia cum alibi fit mentio dierum simpliciter, continui solent in dubio intelligi, nisi expresse dicatur, quod sint utiles. *arg. l. 1. & t. r. ff. de diversis temporal. prescription.* Ita communiter Interpretes, quæ sententia & usu forensi recepta est; teste Colero in *process. executiv. par. 4. cap. 1. n. 245. ibi: Et ita quotidie practicatur.*

XX.

Verùm magna oritur dubitatio: Si inventarium intra 30. dies, seu mensem primum non sit inchoatum, sit autem intra duos menses absolutum, an vitiosum sit, an adhuc valeat? Existimant quidem Dd. quamplurimi, valere inventarium, sive primo, sive altero, sive denique tertio mense cœptum, modò intra tres menses consummatum sit. Nos v. concludimus, Imperatorem Justinianum circa tempus inventarii conficiendi geminas tradere solennitates, unam, ut intra mensem inchoetur: alteram, ut intra alios duos absolvatur.

Ratio est, quia Imperator in *d. l. fin. §. 2.* ubi de formalibus & solennibus requisitis agit, non tam consulens quam solenniter præcipiens, vult, ut inventarium intra 30. dies exordium

B. 3;

capiat,

capiat, postea jubet, ut intra alios menses duos, si heres sit præ-
sens. *d. §. 2.* Sinverò absens, intra annum, totum negocium ab-
solvatur. *d. §. 3.* Forma autem cujusq; rei à legibus præscripta,
exactè & ad unguem est observanda, ita ut si id factum non fue-
rit, tunc quod factum est, nullius momenti sit, & pro infecto
habeatur. *arg. l. qui per salutem. 33. ff. de jurejuran.* Atq; huc refe-
renda sunt ea, quæ Imperator de forma, de temporibus, de fi-
gura adeò præcisè inculcat. *d. l. fin. §. Sin verò. 12. ibi: secundum for-
mam. Nov. 1. cap. 2. §. 1. ibi: secundum modum & tempora. Et d. cap. 2. §. 2.
ibi: secundum hanc figuram.*

XXI.

Non minor est interpretum concertatio: Quan-
do tempus hoc trium mensium currere incipiat
heredi? Nobis placet, quod computari debeat non
à morte testatoris, neq; à die aditæ hereditatis, sed à
die aperturæ tabularum testamenti, quam publica-
tionem vocamus, vel quod in idem recidit; Ex eo
die, quo heredi præsentem cognitum fuerit, se vel
scriptum, vel vocatum esse heredem. (a) Si verò he-
res absens sit, initium anni est à morte testatoris. (b)

(a) *Tex. in l. fin. §. Sin autem dubius. 2. ibi: post apertas tabulas,
vel postquam nota fuerit ei apertura tabularum, vel delatum sibi ab intestato
hereditatem. C. h. t.* Qua legis dispositione certè nihil clarius esse
potest. Ratio (1) est, quia ea delata dicitur hereditas, non quæ
jam sit adita, sed quæ adiri possit. *l. delata. 151. de V. S.*

(2.) Quia nihilominus heredi integrum relinquitur, he-
reditatem, etiam confecto inventario vel repudiare vel adire.
d. l. fina. §. Sin autem hoc. 14. ibi: Si non recusaverit. C. h. t. Nam per
confectionem inventarii non inducitur aditio hereditatis,
fortè

fortè enim heres idè inventariùm cōfici curavit, ut magis de viribus hereditariis certus esset, quàm ut declararet animum adeundi, & sic, cum actus iste non inferat necessariò additionè, non etiam ex confectiōe illa animus ad eūdi probatur.

(3.) Quia causa, ob quam tempus certum ab Imperatore præfixum est, ad inventariū confectiōem, est juxta *conclusionem 18. ea*, ne heredes cunctando creditores & legatarios diu suspendant, cui intentioni Imperatoris contrarium fieret, si aditio heredis longius expectanda foret.

XXII.

Incidit & hīc ventilanda & illa quæstio: An inventariū ab ipso defuncto, tempore vitæ suæ, manu propriā confectum, & heredi traditum, ipsi proficit, & à confectiōe hac solenni eum relevet? Neg.

Ratio (1.) quia vires hereditatis spectandæ sunt à tempore mortis, non autem dum vivit. *d. l. fin. §. 2. ibi; post apertas tabulas. Et ibi: à morte testatoris.* Viventis siquidem nulla est hereditas. *arg. l. bonorum. 208. de V. S.* Et improbum Julianus existimat eum, qui sollicitus est de vivī hereditate. *l. moribus, 2. §. interdum. 2. ff. de vulga. & pupill. substit.*

(2.) Quia bona, quæ multa fortè erant in vita defuncti, possunt ante mortem ejus minui, vel è contrario, quæ parva, possunt augeri.

XXIII.

Deniq; circa hoc primum requisitum & hoc moveri potest: An tempus inventario præfixum currat heredi certa ex causa impedito, puta ægro-tanti, capto ab hoste, incarcerato? Nega.

Ratio est, quia quemadmodum regulariter tutores excu-sare se volentes, causas suas, intra 50. dies proponere, intra 4. menses

mensēs prosequi, & ad finem perducere debent. *l. quinquaginta. 38. ff. de Excusat. tutor.* Hi tamen dies, quamvis sint continui; in odium negligentium tutorum præfiniti. *l. scire. 13. §. quinquaginta. 9. ff. d. r. §. qui autem vult. 16. l. d. t.* Illis non currant, sed ignoscendum eis est, si vel ob adversarii moram *d. l. cum ipse. 39. ff. d. t.* vel aliam ob justam causam impediti fuerint, puta ob ægritudinem, tempestatem, vim fluminis, incursionem latronum, aut alium casum fortuitum, veniâ dignum. *d. l. scire. 13. §. Si enim quis. 7. ff. d. r.* Ita & hi dies, quamvis sint continui, *supr. conclus. 19.* non tamen impeditis ex causa justa current.

XXIV.

Secundum requisitum positum est in Personis, quæ huic inventario conficiendo & conscribendo adesse debent. Sunt autem (1.) Tabularii. (2.) alii quorū interest. (3.) Testes, eo tamen casu, si creditores vel legatarii vocati absint. (c)

(a) *Tex. in l. fin. §. 2. ibi: sub presentia tabulariorum. C. h. r.* ubi opera Tabulariorum sive Notariorum publicorum ad inventarii confectioem necessaria esse dicitur.

(b) *d. §. 2. ibi: cæterorumq; qui ad huiusmodi confectioem necessarij sunt.* Ratio est, quia generaliter proditum est, ut ubicunq; de alicujus re sive negotio agitur, is citetur & admoneatur. *l. de unoquoq; 47. ff. de re judica.*

(c) *Novel. 1. cap. 2. §. 1. versic. Si verò absunt aliqui.*

XXV.

(1.) Tabularios ad minimum duos adhibendos esse statuimus, quamvis secundum communem

munem opinionē sufficiat, quod inventarium etiam unius tantum Notarii publici manu scriptum sit.

Ratio (1.) quia Imperator in enumeratione horum requisitorum facit mentionem Tabulariorum, non Tabularii. *l. fin. §. 2. ibi: sub presentia tabulariorum. C. h. t. uti & in Novel. 1. cap. 2. §. 1. ibi: tabularius enim solus.* Ut ita intelligamus, adhiberi debere plures, unum non sufficere: Pluralis autem elocutio mineri quam binario numero contenta non est. *arg. l. ubi numerus. 12. ff. de testibus.*

(2.) Ratio huius binarii numeri videtur esse hæc, ut tantæ rei, universæ scilicet hereditatis, certior sit fides, nec quicquam sit, de quo vel creditores vel legatarii conquerantur, utpote qui in dubio magna sæpè cum jactura debiti, huic inventario stare, & in eo acquiescere coguntur. *arg. d. l. fin. §. licentia. 10.*

XXVI.

(2.) **Alii**, qui ad confectionem inventarii necessarii sunt, intelligendi creditores hereditarii, (a) legatarii & fideicommissarii, (b) & illi, ad quos ea res pertinere potest. (c) Hi omnes, vel sigillatim vel generatim, vel personaliter, vel ad domum, (d) vel per proclamata, (e) vel alio consueto modo citandi sunt, ut certo tempore & loco compareant, negotio intersint, & illud debitâ fide & formâ expediri videant.

(a) *Tex. in Nov. 1. cap. 2. §. 1. ibi: non creditorem solùm.* Quibus scilicet ex hereditate aliquid debetur. *l. creditores. 10. de verb. sign.*

(b) *d. Nov. 1. cap. 2. §. 1. ibi: convocare omnes legatarios & fideicommissarios.*

C

(c) L.

(c) *l. fin. §. 2. ibi: ceterorumq; qui ad huiusmodi confectionem necessarii sunt.* Admittuntur & prænominatorum procuratores seu mandatarii, si fortè personarum dignitas, qualitas, ætas, aut quælibet necessitas id. postulet. *Nov. 1. cap. 2. §. 1. ibi: aut quosdam pro eis agentes.* Puta si persona illustris sit, cui parùm convenit, ut ipsa sit præsens talibus minutiis rerum perscrutandis & tractandis. Item si verecundia sexus obstet mulieri, quò minus talibus actionibus sese immisceat.

(d) *arg. l. aut qui aliter. §. 2. ff. quod vi aut clam l. 2. ibi: ubi domicilium habet. C. de annali exceptio.*

(e) *arg. l. si eo tempore. 6. C. de remissione pignora.*

XXVII.

Quid autem dicendum, Si quidam, quorum interest, citati, quidam omisi sint? Inventarium penitus viciari probabile est.

Ratio (i.) est, quia heres certam formam, sub cuius conditione, hoc beneficium ei indulgetur, non observat. *l. fin. §. ibi: præfatam observatiouem. C. h. t. Nov. 1. cap. 2. ibi: convocare omnes. (2.)* quia paria sunt, non fieri & non legitimè fieri. *arg. l. non dubium. §. C. d. ll. nihilq; actum esse credimus, dum aliquid addendum superest. l. cum Silanianum. 11. in fi. C. de his quibus ut indignis.*

XXVIII.

(3.) Testes etiam præsentés esse debent, coram quibus convenit fieri inventarium, sed eodem casu, si creditores vel legatarii vocati sint absentes, si enim præsentés illi sint, nulla testium præsentia videtur esse necessaria. (a)

Testes

Testes verò tùm in locum absentium requirimus tres. (b)

(a) *Tex. in Novel. 1. cap. 2. §. 1. vers. Si verò absunt aliqui.* Ratio (1.) quia præsentibus hisce quorum interest, nulla opus videtur probatione ulteriore, ipsi enim negotium omne sine fraude peragi & consummari viderunt. (2.) quia si in casu præsentia testes requirimus, non hoc cum lege agimus, erubescimus igitur solennia solennibus adjicere. *arg. Nov. 18. cap. 5. in pr. ibi: sed quia non hoc cum lege.* (3.) Quia Imperator in *Nov. 1. cap. 2. §. 1. versic. Si verò absunt aliqui.* propterea testes convocari præcipit, ne creditores absentes solis tabulariis, quantum ad hoc competit, fidem habere cogantur. E. si sint in re præsentis, contrarium concludendum, testibus nempe non opus esse.

(b) *Tex. in Nov. 1. cap. 2. §. 1. vers. si verò absunt aliqui. ibi: non minus tres.* Vbi describit Imperator testes hosce, ut sint fide digni, optimæ opinionis seu existimationis, eodemq; loco substantiam possideant, his enim concurrentibus reliquis, magis creditur. *l. 3. ibi: an locuples. ff. de testibus.*

XXIX.

Tertium Requisitum consistit in subscriptione heredis. (a) Quæ vel per ipsum heredem, vel si ignarus sit literarum, aut alia iustâ ratione impediatur, per alium tabularium specialem tertium faciendâ est, (b) præsentibus testibus. (c)

(a) *Tex. in l. fin. §. 2. ibi: subscriptionem tamen supponere heredem necesse est. C. h. t. ubi textus necessitatem imponit heredi se subscribendi.* Subscriptio autem propriâ heredis manu factâ hoc

continebit, ut affirmet (1.) vires hereditatis ad quantitatem descriptam revera excurrere. (2.) nihil dolo malo factum esse, factumve iri. *d. §. 2. ibi: Et quantitatem rerum & quod nulla malignitate.* Ratio cur subscriptio heredis requiratur, videtur esse, ne qua fraus committi possit, & ne heres, qui semper præsto esse debet, postea inficietur, se non interfuisse, vel ignorasse, vel non consensisse.

(b) *Tex. in d. l. fin. §. 2. ibi: vel si ignarus sit literarum.* Hic tertius tabularius in eo vices heredis gerit, eiq; nominatim subscriptio ista committitur.

(c) Ad minimum duobus. *arg. l. ubi numerus. 12. ff. de testibus, heredis cognitionem habentibus. d. l. fin. §. 2. ibi: testibus videlicet ad sumendis.* Quorum tamen subscriptio in *d. l. fin. §. 2.* non requiritur, & propterea sufficit, si à Notario nominati & subscripti sint hi testes.

XXX.

Cùm verò ab herede quantitas rerum hereditariarum subscribenda sit inventario, (a) Non omnino convenit inter doctores, An hæres æstimationem, an numerum, an utrumq; subscribere debeat? Prius videtur. (b)

(a) *Tex. in d. l. fin. §. 2. ibi: quantitatem rerum. C. h. t.*

(b) Ratio 1. quia ex æstimatione computatio patrimonii est ineunda, ut sciatur, quid & quantum sit in hereditate. *l. fin. §. in computatione. 9. C. h. t.* (2.) Quia numerum singularum rerum scribere prolixius videtur, quàm quod subscriptioni conveniat, æstimatio verò universalium rerum in unam summam contracta subscriptioni est convenientior. Vnde consulunt Dd. ut æstimatio hæc per peritos æstimatores fiat.

XXXI.

Alia exoritur controversia: Si heres literarum
ignarus,

ignarus, non adhibuit tertium tabularium, sed inventarium subscribi curavit per procuratorem in praesentia heredis, rerumque hereditariarum, an sufficiat? Non. (a) Si verò absit heres, singulariter tùm & integer annus ei indulgetur, & procurator ad subscriptionem admittitur. (b)

(a) Ratio est, quia frustra in *l. fin. §. 2. C. h. t.* tantâ sollicitudine cùm tabellionis tùm testium opera requireretur, si negotium hoc procuratoris subscriptione expediri posset. Si igitur praesens est, pro formâ constitutum est in *d. §. 2.* ut per se vel per adhibitum notarium, si literas ignoret, subscribat, unde procurator hoc casu non est sufficiens, cùm formâ non servatâ, actus corruat. *arg. l. Si unus. 2. C. de testament.*

(b) Ratio (1.) quia cùm lex concessit, ut per procuratorem absentis fiat inventarium. *l. fin. §. Sin autem à locis. 3. in fi. ibi: per instructos procuratores. C. h. t.* pariter & subscriptionem concessisse videtur, permissio enim uno, permitti intelligitur & alterum, sine quo id expediri non potest. *arg. l. 2. ff. de iurisd.* (2.) Quia non videtur rationabile, ut tota confectio alibi fiat, absens verò loco etiam remotissimo eandem subscriptione confirmet.

XXXII.

Illud non interest: Tabularius hic tertius rogatus sit solenniter, vel simpliciter in rem istam sit deputatus.

Ratio (1.) quia iustus heredis sufficit. *l. fin. §. 2. in fi. ibi: & jubente eo.* (2.) Quia nec in *d. §. 2.* nec in tota *l. fin.* nec *Novel. 1.* solennis rogationis ulla fit mentio, cùm tamen in hisce textibus integra negotii forma sit praescripta. *arg. d. l. fin. §. 4. ibi: praefatam observationem, Nov. 1. cap. 2. §. 2. ibi: secundum hanc figuram.*

Secundum

C 3

Quartum

XXXIII.
Quartum Requisitum est Si-
gnum Crucis, quod tamen apponendum
esse putamus eo saltem casu: Si heres manu pro-
pria nomen subscribere nesciat, vel scribere præpe-
diatur, tùm enim venerabile signum Crucis manu
propria præponere jubetur.

Text. in l. fin. §. 2. ibi: venerabili signo antea manu heredis præposito.
C. h. t. Ratio est ut per hanc crucem tanquam æternæ salutis
signum religiosè admoneatur, nihil sibi dolosè faciendum,
aliàs omnis occultationis & malignitatis vindicem Deum se
habiturum esse.

XXXIV.
Interpretes plura requisita addunt. Puta
Quintum ipsis est: Judicis præsen-
tia. Sed nos eandem pro legitimo inventarii hu-
jus requisito non agnoscimus.

Ratio (1.) quia Judicis nulla fit mentio, neq; in *l. fin. C. h. t.*
neq; in *Novel. 1.* ubi tamen Imperator formam perfectam nobis
præscripsit. *arg. d. l. fin. §. 4. ibi: præfatam observationem. & d. Nov. 11.*
cap. 2. §. 2. ibi: secundum hanc figuram. Erubescimus autem sine le-
ge loqui. *Nov. 18. cap. 5.*

(2.) Quia si Judicis præsentia requirenda esset, non neces-
se fuisset duorum Notariorum, al quando & testium præsentiam,
itemq; subscriptionem heredis, aliãq; solennia requisita
accumulasse: siquidem superfluum est privatum testimoni-
um, quando publica monumenta sufficiunt, *arg. l. in donationi-*
buz 31. C. de donation.

Sextum

Sextum à Dd requisitum affertur: **Pro-**
testatio, quâ heres sibi in initio inventarii ca-
 vet, quod si quæ inscripta sint per errorem, pro
 non scriptis haberi debeant, & si quæ inventario in-
 ferta non sint, quæ tamen inseri debebant, quam-
 primum cognoverit eò pertinere, bona fide in illud
 referre velit. Sed neq; hæc cautela, ut in praxi ho-
 diè recepta dicatur, necessaria est.

Ratio est, quia quamvis aliàs protestatio utilis, ejusq; hæc
 natura sit, ut jus protestantis conservet, *arg. l. Nefennius. 34. versic.*
quid enim si etiam protestata est. ff. de negot. gest. ita & hic heres à mala
fide sit excusatus, omniaq; quæ bona fide, incautè tamen ab eo
facta sunt, per hanc protestationem pro infectis habeantur:
 Nullibi tamen in jure definitum est, quod protestatio ad solen-
 nia inventarii hereditarii pertineat, quare nec nostrum erit, ea
 augere. *arg. Nov. 18. cap. 5. ibi: Sed quia non hoc eum lege.*

Septimum quibusdam placet requisi-
 tum: **Prepositio nominis Impe-**
ratoris. Nos quidem illud ad formam hujus
 Inventarii propriè referri posse non putamus. (a)
 interim tamen non negamus, nomen & annum
 Impe-

Imperatoris regnantis requiri ad formam instrumenti communis. (b)

(a) Ratio est, quia nec *l. fin. C. h. r.* nec alia constitutio juris hanc formam in inventarii confectione pro eius consummatione requirit.

(b) *Tex. in Nov. 47. cap. 1. in princ.* ubi adducitur expressio anni regnantis Imperatoris, tanquam instrumenti communis requisitum formale. Et *in constit. Imper. Maximiliani in Edm. Anno 1512. §. Und nach dem. ibi:* Die Jahrzahl unsers heils/Römisch zinszahl der Mahn des obersten Fürsten. Ratio anni est, ut eò certius constare possit, quando & quo tempore instrumentum sit confectum, quod scire sæpè maximè refert. Ratio autem nominis Imperatoris videtur esse, Honor debitus summo principi, cum Imperator Romanus sit caput totius orbis Christiani.

XXXVII.

Octavum adjicitur: Publicatio.
sed frustra.

Ratio est, quia & hinc legis præsidio destituimur.

XXXVIII.

Tandem & Nonum annectitur: Designatio rerum hereditiarum singularum atq; univrsarum decens & accurata. Verùm neq; hoc singulare & proprium requisitum est inventarii, (a) sed subjecti (b) ratione ita rectè cōsideratur, (c)

(a) Ratio est, quia hoc est commune omnibus descriptionibus, ut res ordine omnes annotentur.

(b) Vide-

(b) Videatur inf. concl. 41. IX

(c) Si res considerentur simpliciter, prout circa eas descriptio versari dicitur. Nisi designatio hæc referatur ad cõclus. Superiores 29. & 30. ubi dictum est, quod res præsentès clarè & distinctè annotari debeant, arg. l. fin. §. 2. ibi: & quantitatem rerum.

XXXIX.

Solennitates superiores fuerunt de Iure civili.

(a) Notant verò Interpretes hodiè nostris moribus plerasq; solennitates Justinianeas prædictas non amplius servari: (b) Sed cujusq; regionis morem & consuetudinem dominari. (c)

(a) Quæ si omittantur, Inventarium non subsistit. Ratio est, quia lex præscripsit certam formam, hæc si non exactè & ad amissum observetur, actus nullius est efficaciam, utpote contra præscriptum legis gestus, vitiatâ enim formâ actus subsistere nequit. c. non dubium. §. C. de legibus. l. si unus. 12. C. de testament.

(b) Scrupulosa illa observatio hodie fere exolevit, inquit Duarenus ad tit. de acquir. vel omitt. heredit. cap. 6. fol. 446. Vix enim quisquam hodie observat formam in d. l. fin. C. h. t. descriptam conficiendi inventarij. Imò, addunt alij, vix fieri potest tale inventarium, quod omni careat vitio.

(c) Ratio est, quia inventarij solennitates causam habent efficientem jus civile. l. fin. pr. C. h. t. §. Extraneis. §. vers. Sed nostra benevolentia. I. de hered. qual. & differ. Ergò per aliud jus civile, puta legem contrariam seu Consuetudinem non solum minui, sed si ita usus ferat, etiam in totum tolli possunt, arg. l. de quibus. 32. ff. de legibus §. Sed naturalia. 11. I. de. Iure natur. gent. & civ. Sic usus Inventarij exolevit in Gallijs, uti refert ex Chassaneo Giphian ad l. fin. C. h. t. in pr. Sane ante omnia ad jus locale respiciendum, si hoc desit, rectè ad jus commune recurrendum est.

D

40. In

Inferenda hinc videtur Quæstio: An Jure Saxo-
nico necessitas conficiendi inventarii remissa sit?
Nega.

Ratio (1.) quia nusquam in Jure Saxonico immutatum re-
peritur jus hoc commune. E. cur stare prohibeatur? *arg. l.*
precipimus. 32. §. fina. C. de appellatio. (2.) Quia dicit textus *in lib.*
1. Landrecht artic. 6. Wer das Erbe nimbt/ der sol zu recht die Schult
gelten als ferne das erb wehret. Dum igitur Heres pro viribus he-
reditarijs, Creditoribus obligatus dicitur, eo ipso ad confecti-
onem inventarij obstrictus est, quia de viribus istis certò con-
stare non potest, nisi ex inventario legitimè confecto; Secus est
si heres iuramento suo res ad hereditatem pertinentes manife-
stare velit, vel cogatur. Vid. *infr. Conclus 46.* Hinc ipse Colerus
dissentiens fatetur *tracta. de process. executiv. p. 2. cap. 3. n. 491.*
Etsi, inquit, hæc ita sint, de Jure Saxonico: Nemini tamen
author esse velim, ut quoquo modo sese impediatur circa ali-
quam hereditatem, & descriptionem inventarij omittat, ne
vel in suspicionem hereditatis expilatæ incidat, vel vires here-
ditatis mediante iuramento patefacere cogatur.

Materia circa quam sive subjectum occupans,
sunt Res hereditariæ omnes, quas defunctus tem-
pore mortis habuit. (a) Mobiles & immobiles. (b)
Similiter nomina debitorum, itemq; instrumen-
ta, quibus ea continentur. (c) Sed & res alienæ, quæ
fortè pignori datæ defuncto, vel commodatæ, de-
posi-

positæve. (d) Fructus quoq; & accessiones, quæ post mortem defuncti ex hereditate jacente susceptæ sunt. (e)

(a) Tex. in l. fina §. sin autem dubius. 2. ibi: Super hiis rebus, quas defunctus mortis tempore habebat. C. h. t. Ratio est, ne heredes forte quid furripiant aut malignentur. Novel. 1. cap. 2. in fin. princ. l. si quis. 7. ibi ne quid furto subtrahatur. C. de bonis proscripior.

(b) Immobilia bona describenda sunt cum nominibus, si quæ habent, in qua civitate, aut in quo pago sita sint, & quos duos vicinos proximos habeant. l. forma. 4. ff. de Censibus.

(c) Schulden und die darüber habende Briefliche Verschulden. Ratio est, quia sub nomine Rei generali & hæc comprehenduntur. l. 1. in fin. ff. de rebus Credit. Non verò opus est, ut nomina & instrumenta hæc, extensè ut Dd. loquuntur, consignentur, sed sufficit, ea per initialia & ultima verba, Wie sie ansehen und wie sie ausgehen/ annotari:

(d) Ratio (1.) est, quia heres potest agere & conveniri ob tales res. l. & non tantum. 19. ff. de hereditat. petitio. (2.) quia licet tales res non sint in bonis, sunt tamen ex bonis. l. 2. §. in hac actione. 22. ff. Vi bonor. raptor.

(e) Ratio (1.) est, quia ex hereditate proveniunt. E. & ad eam pertinent, unde & augere hereditatem dicuntur l. item veniunt. 20. §. item non solam 3. vers. fructus autem omnes. l. Sed et si. 25. §. fin. cum ll. seqq. ff. de hered. petitio. l. quod servus. 38. ff. de legat. 2. l. postulante. 44. §. 1. vers. omnia ea hereditatis appellatione continentur. ff. ad Sc. Trebellian. l. quod de bonis. 15. §. fructus. 6. ff. ad. L. falcid. Et consequenter ex etiã illis creditoribus satisfaciendũ. (2.) quia defunctus si fructus quoq; habuisse intelligitur, legis interpretatione, qua hereditas jacens defuncti personam repræsentat. l. hereditas. 34. ff. de acquiren. rer. domin. l. cum hereditas. 9. C. depositi. Si tamen fructus contingant in certis rebus, corporibus, vel speciebus legatis, tũ incrementa profunt legatariis. Ratio est, quia dominium rei legatæ à die mortis transit ipso jure in legatarium. l. ad Titio.

§. in fi. ff. de furtis. E. & fructus, qui sequuntur dominium, acquiruntur domino rei. l. fructus. 33. ff. de rei vindic. l. Herennius 42. ff. de Vfuris.

XLII.

Consignandæ autem sunt hæ res hereditariæ in
LOCO ubi sitæ sunt, vel ubi maxima earum pars
existit.

Tex in l. fin. §. Sin autem à locis. 3. in princ. C. h. t. Si verò hereditas in duobus vel pluribus locis fortè sita est, potest quidem heres duo vel plura inventaria conficere, unum tamen sufficit. Ratio est, quia Creditorum vel aliorum nihil interest, unum vel plura inventaria fiant, modò de viribus hereditatis legitime constet. Hereditas enim complectitur omnia bona ubiq; existentia, sive fiat in propinqua regione, sive remota, & sive defunctus sciat, se tot bona habere, sive ignoret, constituunt enim universæ istæ res unicum patrimonium, juris intellectu. arg. l. ex facto proponebatur. 35. ff. de hered. instituend.

XLIII.

Finis inventarii est: Ut heredi optimè prospiciatur.

Tex. in l. fin. in fi. princ. ibi: Et non solàm milites adjuvare huiusmodi beneficio, Sed etiam ad omnes, scilicet heredes, hoc extendere. C. h. t. Ratio est, quia cum olim heredes deliberantes facilè potuerint impingere, siquidem hereditas sæpè credebatur ab initio lucrosa, quæ postea reperta est damnosa, ut quia fortè improvifum æs alienum emergebat. d. l. fin. in fi. princ. Ideò Imperator Justinianus favore & intuitu heredis, hoc beneficium introduxit, constituit.

stituens, ut potius heres inventarium rerum hereditariarum
conficiat, eoq; mediante hereditatem adeat, adeoq; (1.) neq;
ultra vires hereditarias teneatur ullumve damnum sentiat. *l. fin.*
C. b. t. ubi passim. Videatur infr. *Conclus. Sequens. 44.* (2.) neque
in posterum de impetrando remedio deliberationis sollicitus
esse debeat. *d. l. fin. §. donec. 11. ibi: Sed sui hoc spacium ipso jure pro deli-*
beratione. C. b. t.

Hodiè in quibusdam locis etiam propter publicum inter-
esse inventarium confici mandatur. Et rectè: Ratio est, ut con-
stet de quantitate patrimonii cujusq;, an nempe in censu agen-
do defunctus fideliter sua bona indicaverit.

Dissentiunt autem quamplurimi à conclusione nostra,
existimantes, Inventarium etiam favore creditorum heredita-
riorum & legatariorum ac fidei commissariorum introductum
esse. Sed non arbitramur, Justinianum Imperatorem ad illos
respexisse. Ratio (1.) quia si tota *l. fin. C. b. t.* percurramus, nihil aliud
Imperatorè agere videmus, quàm ut heredi in primis consulat
ac prospiciat. (2.) Quia Inventarium est beneficium. *d. l. fin. in.*
fi. prin. §. Sin vero. 12. in fi. C. b. t. Beneficium autem non datur in-
vito. *l. invito. 59 de R. I. E.* potest heres inventarium facere, potest
etiam quandoq; ob certas causas illud omittere. Videatur infr.
Conclus. 76. Sicut & Imperator heredi expressè permittit, prio-
rem deliberationem suscipere, aut inventarium conficere. *d. l.*
fin. §. Et hæc quidem 13. At verò hæc omissio ab herede fieri non
posset, si aliorum respectu introductum fuisset inventarium.
(3.) quia inventarium est loco juris deliberandi. *l. fin. §. donec.*
11. ibi: pro deliberatione. C. b. t. At facultas deliberandi heredita-
tum concessa fuit, an hereditatem adire, an non adire volue-
rit. *§. Extraneis. 5. l. de hered. qual & differ. l. cum in antiquioribus. 19. pr.*
C. b. t. (4.) quia nihil ferè creditorum interest, inventariū ab he-
rede fieri: Creditores enim semper ad unguem credita sua
consequi debent, arg. *§. Creditor. 4. ibi: in tuto sit Creditum. Inst.*
quibus mod. re contrah. oblig. grave enim est fidem fallere, eosq; de-
cipere, qui libenter contraxerunt, arg. *l. 1. ff. de Constit. pecun. Imò*
(5.) Creditores quandoque damnum ex inventarii confecti-

one patiuntur, tūm enim heres ultra vires hereditatis non te-
netur. l. fin. §. Et si perfectam. 4. Et §. licentia. 10. C. h. t. Cum si heres
non fecisset, convenire eum possent in solidum etiam ultra vi-
res hereditarias. d. l. fin. §. 12. Quare relinquitur, quod con-
templatione heredis inventarium solummodo sit introdu-
ctum: Licet & Creditoribus & legatariis quandoq; prodesse
possit.

XLIV.

Effectus inventarii ritè confecti sunt varii. (1)
est: Heres ultra vires hereditarias non potest con-
veniri.

Tex: in l. fin. §. & si perfectam. 4. ibi: Sine periculo habeant. id est non
tenentur ultra vires hereditatis, sive patrimonii defuncti: Et
ibi: ut in tantum teneantur, in quantum res substantie ad eos devolutæ va-
leant. Et ibi: Et nihil ex sua substantia penitus heredes amittant, ne dum
lucrum facere sperant, in damnum incidaant. §. Extraneis. 5. in fi. ibi: & in
tantum teneri, quantum valere bona hereditatis contingit. l. de hered. qua-
lit. & different. Ratio est, quia heres adeundo hereditatem vel
se se immiscendo, quasi contrahit cum Creditoribus heredita-
riis. l. apud Iulianum 3. §. 3. in fi. l. 4. seq. ff. quibus ex caus. in poss. eatur.
Et legatariis. l. si quis. 5. §. heres. 2. ff. de oblig. & action. ac intelli-
gitur secum pensasse. l. qua doti. 33. ff. soluto matrimo. Ideo etiam
Creditoribus in solidum satisfacere tenetur, etiamsi hereditas
non sit solvendo. l. si te bonis. 10. C. h. t. d. §. Extraneis. 5. arg. l. liber-
tus. 36. ff. de bonis libertorum. Quod cum magnum & grave sit peri-
culum, Imperator Justinianus eo periculo heredem liberare,
cumq; adeuntem ab omni damno tutum ac securum reddere
voluit, ex favore & commiseratione erga ipsum, ne ei officium
adeundi foret damnosum, ac solvendo as alienum defuncti,
ultra quam ab eo accepit, gravaretur.

Feudalem hinc inserimus controversiam, arduam & spinosam: Certum quidem est, quod agnatus repudiare possit hereditatem, retento feudo, filius autem non possit, sed aut utrumque retinere aut utrumque repudiare cogatur. (a) Sed quid si filius cum beneficio inventarii res hereditarias adierit, & tam feudum quam hereditatem apprehenderit, Anne tunc ultra vires hereditarias tenebitur, & debita patris ex feudo persolvere cogatur? Nos concludimus, quod filius jure communi feudali, etiamnum possit retinere feudum ab oneribus hereditariis liberum. (b) Hodie verò in Electoratu Saxoniae constitutum est, ut filius ultra hereditatem patris ex feudis obligetur, sive inventarium conscripserit sive non. (c)

(a) *Tex. 2 f. 45. Et. 2 f. 51. §. filius. 4.* Quæ verò sit diversitatis ratio inter agnatum & filium, Non satis liquet: Et in diversas eunt Interpretes opiniones, Vti patet ex discursu de feudo ex pacto & providentia, & feudo hereditario Caroli à Kirchberg. *Cap. 3. à n. 100.* Nobis Baldi dictum arridet: In feudis non tam strictam rationem, quam ipsam consuetudinem quandoque spectandam esse: Eoq; refertur *tex. 2. feud. 26. §. filij nati:* *ibi: quamvis ratione improbetur, ex usu tamen admittitur.*

(b) Ratio (1.) est quia ad eundo hereditatem obæratã, satisfactum est à filio dispositioni *d. tex. 2. f. 45.* (2.) quia remedium *l. fin. c. h. r.* filiis jure indultum in *d. t. 2. f. 45.* expressè non admittitur.

(3.) quia

(3.) quia **Juris communis correctio non præsimitur, nisi aper-**
tis fiat verbis, sed potius si casus consuetudine feudi non sit
comprehensus, absq; calumnia tùm uti possumus jure com-
muni. 2. f. 1. *versic. legum autem Romanarum.* (4.) quia feudum non
est in hereditate, sed sanguinis jure defertur. 2. f. 50. *in princ. &*
in fi. ibi: qui ex illa linea sunt. 1. f. 13. *§. etsi clientulus.* Et filius illud ha-
bet jure singulari, neq; enim, suo patri heres vel ex jure pater-
no successor est, verùm proprio vocatur & succedit jure ex
contractu & provisione primi acquirentis. 1. f. 14. *§. 1. & beneficio*
domini. 2. f. 23. *§. fin.* Vnde nec pater feudum filio adimere, & al-
teri dare potest. 1. f. 8. *ibi: nullâ ordinatione.* Tot enim sunt in feudi
concessione donationes, quot sunt personæ successorum. 2. f.
23. *§. fin. ibi: ad eum heredesq; suos:*

(c) *Constit. Elector. 47. p. 2. §. wir lassen vns diese letzte mei-*
nung. ibi: wollen auch/ das alle andere distinction de Confectia-
ne inventarii dissals zu vbergehen sey. Torgauisch Ausschreiben an-
no 1583. Rubr. Welcher gestalt die agnaten. §. Da aber ein Vater
bey seinem Leben. Ibi: oder auch die Söhne ein Inventarium gemacht
hätten.

XLVI.

(2.) **Effectus est: Si de viribus hereditatis con-**
troverfia oriatur, statatur Inventario. (a) Audiuntur
tamen insuper creditores, si de fide fortè dubitent,
probaturi contrarium. (b) Sed & si aliæ probatio-
nes defecerint, juramentum heredi deferre pos-
sunt, ut juret, nihil præterea in hereditate fuis-
se. (c)

(a) *Tex. in l. fin. §. licentia. 10. ibi: quàm heres in inventario scrip-*
sit. C. h. t. Ratio est, quia est publicum instrumentum. l. veteris.
13. fin. in fi. princ. C. arbitr. tutela. Ideoq; præsimitur pro inventa-

rio

rio, ob publicam Notarii & testium fidem. Et sic probat, tot in hereditate res esse, quot in Inventario descripta sunt, nec nisi de illis rebus heres tenetur, quæ in inventario reperiuntur.

(b) d. §. 10. ibi: legitimis modis approbare. Ratio est, quia cum ex instrumento publico oriatur præsumtio pro herede, Ideo heres qui illud profert, dicitur probasse contenta in eo, & sic fundata est proferentis intentio. Qui vero dicit, Instrumentum non esse verum, is tenetur probare: Quod scilicet plura bona defuncti fuerint, quam in inventarium sint relata. Nam & adversus publicum instrumentum admitti possunt probationes contrariæ. l. cum precibus. 18. C. de probatio. l. optimam. 14. cir. fin. C. de contrah. & commit. stipulatio.

(c) d. §. 10. ibi: vel per Sacramentum illius. Usus vero harum regionum ita observat, ut non ad utrumq; , sed disjunctim vel ad confectionem inventarii, vel ad juramentum heres damnatur. Moll. 2. Semestr. 14. Nec est quod Helfricus Hunnius disp. ad Treutler. 12. th. 8. lit. c in fi. fol. 44. volum. poster. de hac consuetudine dubitet. Ita enim in facultate Juridica & Scabinatu Lipsiensi & VVittebergensi quotidie pronuntiari solet: Wosern N. nicht in abrede oder vberwiesen werden kan/das er sich des Verstorbenen Güter unterfangen vnd angemasset/So ist er ein vollkommenes vnd zu recht bestendiges Inventarium derer Güter / welche der Verstorbene in seinem Munde verlediget/vorzulegen/oder in manglung dessen solche vermittelst eines leiblichen Eydes zu offenbahren vnd anzuzeigen / vnd daren richtige rechnung zu thun schuldig. B. R. W. Videatur pro ulteriori confirmatione styli hujus in Electoratu Saxonix Serenissimi Electoris Saxonix &c. Process vnd Gerichtsordnung / anno 1722. cap. von vertretung der Gewissen / 19. fol. 48. & 49. ibi: Welcher regreß auch in juramentis legalibus/als wann einem in manglung eines zu recht bestendigen inventarii, vermittelst eydes res hereditarias zu specificiren auferlegt wird.

Notandum venit hoc loco: (1.) quod tam in prædictâ Ordinatione Electorali d. cap. 19. ibi: wann er es aber nicht mgnugsam erwiese/quàm in constit. Elect. 14. p. 1. hæc controversia decidatur. Quod reus heres, res hereditarias juramento osten-

E

dere



dere iustus, si probatione uti quādam jurare malit, & in ea deficiat, nihilominus ad iuramentum, quod antea evitare volebat, recurrere possit.

Notandum & illud (2.) iuramentum hoc, quod heres iure Saxonico ob non confectum inventarium præstare tenetur, parti adversæ referri non possit: Ratio est, quia hoc iuramentum est legale, à lege nempe, non à parte parti defertur. *d. Proceß oder Gerichtsordnung/ cap. 19. ibi: auch in juramentis legalibus, als man einem. Et cat. E. referri nequit. arg. l. presenti. 6. §. Sed si hoc, 4. vers. sicubi deposita. ibi: de sua etiam conscientia. C. de his qui ad Eccles. confug. Colerus par. 1. decis. 123. n. 14. & seq. Et tract. de process. executiv. p. 2. c. 3. n. 402. ubi ita per Dn. Scabios Lipsienses anno 1577. responsum fuisse testatur.*

XLVII.

Pulchra hinc occurrit quæstio: Si probetur, quod heres rem aliquam omiserit, vel dolo occultaverit, an beneficium inventarii planè amittat? Nega.

Si enim omissa res quædam est bonâ fide, debet postmodum adjici. Hinc in practica traditur cautela, ut heres protestetur, si aliqua res sint ex incuria omissa, quod velit eas apponere, quamprimum de eis habiturus sit notitiam. De qua protestatione tamen videatur *supr. concl. 35.* Si verò res quædam dolo occultata est, duplum ejus refundi debet. *Tex. in d. l. fin. §. licentia. 10. C. h. t.*

Ratio (1.) est, quia nullibi hæc pœna amissionis exprimitur, sed tùm demum heres beneficio inventarii privatur, si omnino nullum inventarium factum est. *d. l. fin. §. Sin autem. 14. C. h. t.*

(2.) Quia quamvis neglectis substantialibus etiam minimis, totum negocium regulariter invalidum fiat, illud tamen procedit, nisi Lex forsan ulterius progrediatur, & certo defectui aliam specialem pœnam apponat. Dum autem duplum heres præstare debet, non illud ita intelligendum, quasi cui ex
credi

creditoribus 100. debentur, heres eadem præstet 200. Sed ut si rem dignam 100. subtraxerit, cogatur 200. inferre in hereditatem, ut ea 100 illis fiat auctior & solvendo magis idonea, ad §. 1. in fi. ibi. vel hereditatis quantitati computare.

XLVIII.

(3.) Effectus est: Heres inventarium conficiens, detrahit Falcidiam, (a) quæ locum habet, si ultra dotrantem legatis hereditas gravatur. (b)

(a) Tex. in d.l. fin. §. Et si præfatam. 4. ibi: & legis Falcidie adversus legatarios ut antur beneficio. C. h. t. Novel. 1. cap. 2. §. 1. ibi: Et his omnibus observatis habere ex Falcidia præsidium. Ante omnia autem deducendum est æs alienum. l. Papinianus 8. §. quarta autem. 9. ff. de inofficio. testam. Non enim adversus creditores heres falcidiam detrahit, sed adversus legatarios: His quartam partem detrahit, illisq; tres reliquas partes relinquit. §. cum a. 3. l. de L. Falcid.

(b) prin. l. de L. Falcid. ibi: novissime lata est Falcidia.

XLIX.

Non ineleganter autem disquirunt Interpretes: An hæc Falcidia per testatorem prohiberi possit, ita ut ipsi concessum sit, jubere integra legata præstari legatariis absq; ulla detractioe quartæ? Affirm.

Ratio est, quia auctoritate Imperatoris Justiniani jus commune effectum est, ut jam testatori prohibere liceat. Nov. 1. cap. 2. §. Si verò non fecerit. 2. vers. Si verò expressim designaverit. Est n. Falcidia meri juris civilis, civilia autem jura civilibus mutari possunt. §. pen. l. de I. nat. gen. & civ. præsertim si testator non ignarus quantitatis patrimonii sui id faciat. authent. sed cum testator. C. ad L. Falcid.



L.

Adeo autem heres confecto inventario detrahere potest Falcidiam ex legatis, ut nec Militum legata debeant eximi.

Ratio (1.) est, quia *d.l. fin. §. 4. C. h. t.* generaliter loquitur.
(2.) Quia & miles dispositioni Justinianæ de inventario expressè subjicitur. *Novel. 1. cap. 4. §. 2. ibi: sive militari.*

L. I.

Nec legata ad pias Causas.

Ratio (1.) est, quia olim etiam L. Falcidia pertinebat ad ea, quæ Deo relinquebantur. *l. 1. §. ad municipium. s. ff. ad L. Falcid.* Hujus juris antiqui mutatio nusquam reperitur, E. nec nostrum est, sine expresso textu mutationem inducere. *arg. l. precipimus. §. 2. §. fin. C. de appellation.* (2.) generalitas *d.l. fin. §. 4. C. h. t.*

L. II.

(4.) Effectus est: Heres potest Creditoribus vel legatariis primò venientibus & solutionem urgentibus solvere: Et tunc quavis solutione bonâ fide factâ liberatur. (a) Siq; nihil est reliquum, posteriores creditores venientes possunt repelli. (b) Neque hi posteriores contra heredem ullam habent actionem. (c)

(a) *Tex. in l. fin. §. Et si pres. ut am. 4. ibi: & eis satisfaciant, qui primi veniant.*

(b) *d. §. 4. ibi. Et si nihil reliquum est.*

(c) *d.l. fin. §. Sin vero creditores. s. ibi: neg. psum heredem inquietare. C. h. t.* Ratio (1.) esse videtur, favor heredis, ut eò lubentius heredi-

heredi-

hereditatem adeat. (2.) ne molestetur : quare heredi sufficit,
rerum pretia in creditores ac legatarios erogasse. *d. l. fin. §. Sin*
verò heredes. 6. C. h. r.

LIII.

Possunt verò Creditores posteriores à legatariis
vel creditoribus debitum hoc sibi liberè asserere.

(a) Et quidem Creditores contra legatarios vel acti-
one hypothecariâ, (b) vel conditione indebiti :

(c) Itemq; Creditores contra creditores vel actione
hypothecariâ, (d) vel conditione ex lege (e) expe-
riri possunt.

(a) Quibus creditoribus nempè prius res hereditariâ in solutū
data sunt, vel pecuniâ ex illarū vèditiōe redactâ satisfactū est.
Tex. in d. l. fin. §. Sin verò creditores. 5. ibi: licentia creditoribus. C. h. r. ubi
ratio redditur: Quia æquum est, ut non minus creditoribus de
damno certantibus, quàm legatariis solum lucrum quærenti-
bus succurratur. *versus: cum satis absurdum.*

(b) Quando scilicet res hereditaria, quæ legatariis soluta
est, & antea creditoribus à testatore fuit hypothecata, adhuc
extat. *d. §. Sin verò creditores. 5. ibi: vel hypothecis.* Ratio est, quia est
actio realis, & sequitur quemcumq; possessorem. *l. si fundus 16. §.*
in vindicatione. 3. ff. de pignoribus.

(c) Quando videlicet res est extincta. *d. §. 2. ibi: vel indebiti*
conditione. Ratio est, quia res extinctæ non vindicantur, sed con-
dicuntur. Ut enim aliàs conditio indebiti solâ æquitate niti-
tur: *l. indebiti. 15. l. hæc conditio. 66. ff. de condict. indeb.* Ita & hîc inter-
venit æquitas naturalis, nempè ut creditoribus potius, tan-
quam de damno vitando, quàm legatariis, tanquam de lucro
captando arg. *l. si hereditatem. 32. ff. mandat. certantibus consula-*
tur. arg. l. Si is cui. 21. ff. de furt.

(d) Si res extant. *d. l. fin. §. Sin verò heredes. 6. ibi: vel per hypothe-*
gariam actionem.

E 3

(e) Si



(e) Si res non extant, aut venditæ sint, & pecunia credito-
ribus quibusdam sit soluta. d. §. 6. ibi: *vel per condictionem ex lege.* Ra-
tio diversitatis, cur contra legatarios detur conditio indebiti,
non autem contra creditores, sed conditio ex lege, est: quia
legatarii de lucro, creditores autem certant de damno. Quo-
circa cum creditoribus contra creditores re extinctâ, non dari
possit in rem actio, puta hypothecaria, neq; conditio indebi-
ti, quia æquitas naturalis hinc cessat, confugiendum fuit ad hoc
extremum remedium, id est, condictionem ex lege. *arg. l. unic. ff.*
de conditio. ex lege.

LIV.

(5) Effectus est: Creditores non possunt rem
hereditariam in vim solutionis fortè ab herede ven-
ditam ab emtore revocare.

*Tex. in d. l. fin. §. Sin vere creditores. 5. ibi: neq; eos qui ab eo compa-
raverint. Et §. sed nec adversus emtores. 8. C. h. t. ubi Imperator em-
torem omninò ex speciali beneficio voluit securum esse. Ra-
tio (1.) est, quia nemo sub auctoritate legis emtionem permit-
tentis, decipi debet. arg. l. Grachus. 4. ibi: quod legitime factum est. C.*
ad L. Iul. de adulter.

(2) Quia creditores nullum sentiunt propterea damnû,
iis enim aliàs ab Imperatore satis est provisum, ut vel credito-
res posteriores vel legatarios possint convenire. *d. l. fin. §. 8. ibi:*
cum satis anterioribus.

(3.) Quia sic emtor rei iacturam faciens, haberet regres-
sum contra heredem, qui tamen inquietari non debet. *d. §. 5.*
ibi: neq; ipsum heredem inquietare.

LV.

(6.) Effectus est: Heres in concursu creditorum
jura

jura sua atq; actiones, tam personales quam reales,
si quas sit non heres habet, salvas & integras conser-
vat, ita ut in quo statu heres fuit ante hereditatis a-
ditionem, in eo etiam postea maneat.

Tex. in d. l. fin. §. in computatione. 9. versic. Si vero & ipse aliquas.
C. h. t. ubi dicitur, quod hæ actiones non confundantur, hoc est,
extinguantur, sed similem habeat heres cum aliis creditoribus
fortunam, hoc est, si heres est creditor defuncti, beneficio in-
ventarii adhuc ejus creditor manet. Temporibus tamen præro-
gativa inter eos debet servari. d. §. 9. Quod de prærogativa hy-
pothecarum intelligendum, nam privilegiarum actiones in per-
sonam, ex causa, non ex tempore æstimantur. l. privilegia. 32. ff. de
bonis auct. judic. possidend. Sic igitur hoc casu quoad juris effe-
ctum fingitur defuncto nunquam heres extitisse, atq; ita diver-
sam cum ipso personam agere, quam aliàs constat, eandem sibi
in ipso loco creditoris & debitoris esse non posse. arg. l. Gravius. 71.
ff. de fideiuss.

Ratio autem, cur confusio actionum impediatur, est (1.)
in quia inventarium fecerit bona. (2.) quia si actiones extin-
guerentur, noceret heredi inventarium facienti, quod tamen
in ejus favorem est introductum, contra l. non dubium. 5. C. de legibus.

LVI.

Idem juris est in Herede debitore, factio enim
inventario, hoc quoq; debitum heredis in bonis de-
functi numerandum est.

Ratio est, quia ut confectio inventarii non fit in fraudem
heredis creditoris: Sic nec fieri debet in fraudem reliquorum
debitorum, si heres est debitor. arg. d. l. fin. §. in computatione.
9. C. h. t.

7. Effectus

LVII.

(7.) Effectus est: Heres impensas factas deducere potest.

Tex. in d. l. fin. §. 1. in computatione 9. C. h. r. Ut sunt (1.) Expensæ factæ in funus. d. §. 9. ibi: quicquid in funus expendit. Ratio est, quia expensæ funerales, propter publicam utilitatem, ne insepulta jaceant cadavera arg. l. sunt personæ. 43. ff. de religios. & sum. funer. omne as alienum præcedunt. l. impensa. 45. ff. d. tit. l. 1. §. de impensa. 19. ff. ad L. Falcid. §. cum autem. 3. fin. Inst. de L. Falcid. Const. Elect. 28. post princ. par. 1. Qui verò sint funeris sumtus, explicat Jureconsultus Macer in l. funeris. 37. ff. de religios. & sum. funer.

(2.) Impensæ in curationem ægroti factæ. arg. l. in restituend. 4. C. de petit. hered. l. legatum. 3. C. de religios. & sum. funer.

(3.) In testamenti insinuationem. (4.) Ejus publicationem. (5.) Inventarii confectionem. (6.) In quamvis aliam hereditatis causam necessariam. d. §. 9. Puta, si heres forsitan insumserit aliquid in rerum hereditariarum venditione, proxenetas, subhastationem &c. Ratio est, quia heres nullum damnum sentire debet, quando obtemperat dictæ constitutioni Imperiali de Inventario. d. l. fin. §. 4. ibi: sine periculo. Et ibi: in damnum incidant. Quas igitur expensas probabiles & legitimas alius quilibet bonus paterfam. fecisset, eas & heres deducere potest. arg. l. inter quos. 39. §. fin. & l. seq. ff. de damno infecto.

LVIII.

Sed acriter disputari solet: An heres & illas impensas litis detrahare possit, quas litigando fecit pro defendenda hereditate contra eum, qui se heredem asserebat, cum non esset. Placet affirmantium opinio.

Ratio

Effectus



Ratio (1.) quia heres potest deducere illas impensas, quas in necessariam causam hereditariam persolvit *d. l. fin. §. in computatione. 9. ibi: vel in alias necessarias. C. b. t.* Sed hæ impensæ in necessariam causam hereditatis vel defuncti factæ sunt, defuncti enim interest, ejus voluntatem defendi, siue moriatur testatus, ut succedat heres scriptus, siue intestatus, ut legitimus heres succedat, ne scilicet hereditas contra mentem & intentionem defuncti aliorum devolvatur. (2.) quia alias heres ex hereditate damnum sentiret, ex quo tamen Imperator ipsum excipere voluit, uti loquitur in *Nov. 1. cap. 2. §. 1. in princ.*

LIX.

Damna autem, quæ ex rerum hereditariarum interitu post mortem testatoris sine culpa heredis acciderunt, ad eum, si inventarium ab ipso confectum sit, non pertinent.

Ratio est, quia aliquoties in hac materia Imperator heredi permittit, quod hereditatem, si inventarium confici curavit, sine periculo habere, nullumq; damnum sentire debeat. *l. fin. §. & si prefatam. 4. ibi: Sine periculo. Nov. 1. cap. 2. §. 1. ibi. quando homines excepimus ex damno.* Non igitur ea opinio Imperatoris menti satis consentanea videtur, quæ jacturam ex rerum interitu ad heredem pertinere contendit.

LX.

(8.) Effectus est: Durante tempore conficiendi inventarium, non licet Creditoribus seu Legatariis, neq; judicialiter neq; extrajudicialiter heredem convenire, (a) ne quidem per Rei vindicationem. (b)

F

(a) Tex.



(a) *Tex. in d. l. fin. §. donec. ii. ibi: vel inquietare, vel ad iudicium vocare. C. b. r. ubi omnis molestia inhibetur. Ratio (1.) est, quia inventarium est locus juris deliberandi. d. l. fin. §. ii. ibi: ipso iure pro deliberatione. Heres autem deliberans non poterat olim conveniri, tum quia alium habebat animum, quam se immiscendi & intricandi oneribus hereditariis, qui animus imprimis inspiciendus. arg. l. non omnia. 19. ibi: quotiens id ipsum agitur. ff. de rebus cred. tum quia nondum adiverat, unde non erat, quem convenirent creditores vel legatarii. l. ut debitum. 5. C. de hereditar. action. Hereditas itaq; censetur jacens. (2.) Quia eo tempore heredes occupati sunt in inventario conscribendo, quod sane opus requirit diligentiam, laborem, & fidem, citandi sunt creditores & legatarii, res inspiciendæ, observandæ &c. Ideoq; æquum est, ne interea heredes inquietentur.*

(b) *Ratio (1.) est, quia in rei vindicatione duo requiruntur: Ex parte agentis dominium, ex parte verò rei possessio. l. actionum. 26. ibi: rem nostram, que ab alio possidetur. ff. de oblig. & action. Durante autem tempore conficiendi inventarium, semper deficit, reum revera possidere, non enim possidet ut heres quia spacium ipso iure pro deliberatione ei conceditur. d. §. donec. ii. nec possidet ut possessor, quia non dicitur possessor, nisi sit heres, neq; enim is qui hereditate sibi delatâ inventarium conficit, alio quam heredis titulo possidere intelligi potest. (2.) quia ratio legis, sub lit a. allegata, consistens in diligentia, labore, &c. etiam hoc casu militat.*

LXI.

(9) *Effectus est: Creditoribus ex hac dilati-
one nullum temporis præjudicium accrescit, præ-
scriptio enim iis non currit.*

Tex. in d. l. fin. §. donec. ii. in fi. ibi: null scilicet ex hoc intervallo. Ratio est, quia creditores intra hoc tempus adversus heredem experiri nequeunt. d. §. ii. ibi: nulla erit licentia eos inquietare. Non

autem

autem

autem valenti agere, non cūrrit prescriptio. *arg. l. si pupillus. 127.*
ibi: nulla enim intelligitur mora ibi fieri. ff. de verb. oblig.

LXII.

Offert sese hīc decidenda & illa difficilis contro-
versia: An uti heres, durante confectione, non po-
test conveniri, Ita nec alios convenire possit? Com-
munis quidem opinio affirmat. Sed nos ab ea hoc
loco divortium facimus.

Ratio est, quia Deliberans olim non poterat actiones ex-
ercere. *l. ait praetor 7. §. quid sit autem. 2. ubi ratio redditur, quia est ab-
surdum, ei, cui alienatio interdicitur, permitti actiones exercere. ff. de jure de-
liberan.* Ergo nec inventarium hodiē conficiens: A jure enim
deliberandi ad jus inventarii argumentatio regulariter proce-
dit. arg. l. fin. §. donec. 11. ibi: pro deliberatione. C. h. t.

LXIII.

Postremò inter effectus inventarii confecti qui-
dam etiam recensent: Quod heres possit creditori-
bus vel legatariis aliud pro alio, puta rem pro pecu-
nia, vel pecuniam pro re solvere? A quibus disce-
dimus.

Ratio est, quia regula est: aliud pro alio, invito creditori
solvi non potest. *l. 2. §. 1. in fi. ff. de rebus credit.* Cui regulæ standum,
donec expressè de exceptione constet. Jam quidem Interpre-
tes per *l. fina. §. & si praefatam. 4. vers. Sed & si legatarii.* Et *§. Sin verò he-
redes. 6. C. h. t.* confirmant, quasi Imperator ibidem alternativè
& disjunctivè loquatur, quod nimirum sit in potestate heredis,
alterutrum solvere. Sed invitis textibus.

E 2

Porro

Porro Effectus inventarii omissi aliquot etiam
reperiuntur. (1) est: Hereditas tūm præsumitur o-
pulenta: (a) Ideo heres creditoribus in solidum ob-
ligatur, (b) etiam ultra vires hereditatis. (c)

(a) Arg. l. libertus qui solvendo. 36. ibi: Solvendo hereditas est, quæ
inveniat heredem. ff. de bonis libertor.

(b) Tex. in l. fin. §. Sin verò postquam. 12. ibi: in solidum teneantur.
Et §. Sin autem hoc. 14. versio. Si quis autem temerario. ibi: in solidum tene-
atur. C. h. t. Nov. 1. cap. 2. §. Si verò non fecerit. 2. Ratio est, quia quem-
admodum inventarium ritè confectum utilitati cedit heredis,
ita si omissum sit, heres juris anterioris oneribus supponitur.
d. §. 14.

(c) Tex. in Nov. 1. cap. 2. §. 2. ibi: nihil poterat damnificari. id est ultra
vires hereditatis obligari. Ratio (1.) quia heres repræsentat & su-
stinet personam defuncti: Et hereditas est successio in univer-
sum jus, quod defunctus habuit, l. nihil est aliud. 24. de V. S. quo Ju-
ris verbo & damnum & lucrum continetur. arg. l. 1. ff. de bonor.
pos. l. hereditatis. 119. de V. S. Unde fit, quod omissio inventario he-
res teneatur ex quasi contractu aditionis hereditatis, §. heres. 5.
I. de oblig. quæ quasi ex contrac. ad omne æs alienum quod defun-
ctus reliquit persolvendum & legata præstanda, etiamsi in hæ-
reditate tantum non esset, quantum vel debita vel legata effici-
unt. arg. l. si hereditatem. 32. ibi: hereditas interdum damnosa est. ff. man-
dati. (2.) Quia heres tūm censetur res hereditarias occul-
tare, in iis malignè versari & creditores ac legatarios fraudare.
l. fin. §. Sin autem 2. ibi: Et quod nulla malignitate. C. h. t. Nov. 1. cap. 2. in fi.
princ. (3.) Quia heredi ab Imperatore saluberrimo remedio
est prospectum in d. l. fin. C. h. t. Cū igitur heres illud neglexe-
rit atq; contemserit, sibi imputare, suæq; negligentia & culpæ
unicè ascribere debet, quicquid nunc exinde incommodi ac
detrimenti sentit, nec justè de ulla injuria vel iniquitate con-
queri potest. d. l. fin. §. Sin verò. 12. in fin. ibi: nec nostra legis beneficio per-
fruantur, quam contemnendam esse censuerunt. C. h. t.

Nun-

LXV.

Nunquid autem jure Canonico heres non confecto inventario teneatur ultra vires hereditarias? Elegans est controversia. Affir.

Ratio (1.) quia nusquam jus civile tanquam in hoc puncto regulare, reperitur jure Canonico mutatum. (2.) Quia aliàs etiam non dedignatur jus Canonicum sequi leges civiles. *cap. 1. extra de novi operis nunciat. E.* & hoc casu, præsertim quia agitur de re civili, id est, hereditate, non verò de re Ecclesiastica, seu Spirituali. (3.) Quia & jus Canonicum pro decisione expressam inventarii mentionem facit *in cap. Rainaldus. 18. in fi. ex. de testament. E.* jus inventarii cum omnibus qualitatibus expressè approbare videtur.

LXVI.

Præcedenti controversiæ vicina est & hæc: An in foro conscientiæ, seu iudicio animæ, ut quidam loquuntur, heres teneatur? Nega.

Ratio est, quia in foro conscientiæ, non, uti jure civili, inspicitur fictio & præsumtio. Est n. juris civilis ratio, præsumtio & suspicio, heredem fraudare voluisse creditores & legatarios. *Nov. 1. cap. 2. in fi. princ.* Sed sola ibi attenditur veritas, ut nempe nemo ultra accepta gravetur. Et sic heres quando examinat propriam conscientiam, iudex quodammodo fit super hereditate sibi delatâ, unde non est arctandus solvere de suo.

LXVII.

(2.) Effectus est: Heres solida legata præstare debet, nec potest deducere Falcidiam.

F 3;

Tex.

Tex. in l. fin. §. Sin autem hoc. 14. versic. Si quis autem temerario
ibi: sed etiam legis Falcidia. C. h. t. Nov. 1. cap. 2. §. 2. ibi: non retinebit Falci-
diam. Ratio (1.) est, ut heres non per ea, quæ fortè furripit aut
malignatur, inducere tentet falcidiam. Nov. 1. cap. 2. in fine princ.
Et cap. §. 2. ibi: dabit eis pœnam exactio suæ malignitatis. (2.) Quia he-
res transcendit leges, ex quibus cautè omnia agens nihil
poterat damnificari, sed ex diverso etiam, quæ sunt ex Falcidia
lege, lucrari. d. Nov. 1. cap. 2. §. 2.

LXVIII.

Utrum autem, omisâ confectione inventarii,
heres, uti commodo Falcidiæ, ita etiam, si rogatus
sit per fideicommissum hereditatem restituere, be-
neficio Trebellianicæ privetur, in maxima semper
fuit controversia. (a.) Affirmativa juri proximior
est. (b)

(a) Hinc de quæstione hac ait Schneidewein ad §. Extraneis.
§. n. 19. I. de hered. qualit. & differ. magnam esse Dd altercationem,
ut vix possit discerni quænam sit communis opinio.

(b) Ratio (1.) quia omnes præceptum conficiendi inven-
tarium litigat, aut pœna contumaces & nolentes uti hoc be-
neficio manet, Nov. 1. cap. 4. in fi. (2.) Quia non minus heres in
universali quàm in singulari fideicommissio multa clam amo-
vere & in re hereditariâ fraudulenter versari potest. d. Nov. 1. cap.
2. in princ. ibi: quæ fortè furripiunt.

LXIX.

Sic in ancipitem quoq; erupit dissensionem,
Num legitima, jure naturæ filio debita, ob omis-
sionem inventarii, ei denegetur? Et hîc affirmantium
melior videtur opinio.

Ratio

Ratio (1.) quia heres si omittit inventarium, in solidum, solvere tenetur. *l. fin. §. Sin verò. 12.* Et *§. Sin autem, 14. C. h. r.* adeo ut tunc ultra substantiæ defuncti mensuram seu modum creditoribus & legatariis sit obnoxius. *Nov. 1. cap. 2. §. 2.* Legitima autem substantiæ defuncti sibi sepitur, eingitur & clauditur, quod sit ipsius triens aut semis E. eam tunc non consequitur heres filius (2.) quia *d. l. fin. & Nov. 1.* non distinguunt inter heredes extraneos & suos. Si verò hoc nostro casu illam Imperator servare legitimam voluisset, utiq; in *d. l. fin. §. 12. & 14.* aut alibi suam exposuisset voluntatem, seq; ita velle expressisset. (3.) quia si filius damnum aliquod inde percipit, propriam sanè culpam illud sentire intelligitur, cur enim contempsit & transcendit leges, ex quibus cautè omnia agens nihil poterat damnificari. *d. Nov. 1. cap. 2. §. 2. vers. sed dabit eis pœnam. d. l. si. §. Sin verò. 12. ibi: nec legis nostræ beneficio.*

LXX.

(3.) Effectus est: Actio heredis contra defunctum confunditur.

Ratio (1.) quia heres propter beneficiū inventarii actiones salvas habet. *l. fin. §. in computat. 9. vers. si verò & ipse. C. h. r. E.* à contrario sensu ex *d. §. 9.* desumpto, si heres omittit hoc beneficium, actiones confundentur. (2.) quia per aditionem actiones sunt confusæ & commixtæ cæteris bonis ipsius heredis. *l. sed si plures 10. §. filio. 2. in fi. ff. de vulga. & pupill. subst.* non enim regulariter potest quis sui ipsius esse debitor, & creditor. *l. Granius. 71. ff. de fidejussor.*

LXXI.

(4.) Effectus est: Heredi, si non confecit inventarium, hæc pœna imponitur, ut res omnes restituat

Credi-

creditoribus, aut his qui ad hereditatem vocantur. Et hi in litem jurare, id est hereditariarum rerum quantitatem jurejurando æstimare possunt (a) Judex tamen huic juramento in litem moderabitur. (b)

(a) *Tex. in l. fin. §. sin autem hoc. 14. vers. Quod si post deliberationem ibi: quantitate earum sacramento.*

(b) *d. §. 14. in fi. tibi: cum taxatione tamen. Sicut & alias in hoc jurejurando fieri solet. l. videamus. 4. §. jurare. 2. ff. de in litem juram. Omittimus effectus alios, qui vel ex superioribus etiam colligi possunt.*

LXXII.

Affinia solenni rerum hereditariarum inventario sunt inventaria alia, quæ nihil solennitatis requirunt, nisi ut bonâ Fide ab his, qui bonorum alienorum administrationem habent, conscribantur.

Ut sunt (1.) Tutores, sive testamentarii, sive legitimi, sive dativi, in bonis pupillorum, & Curatores in bonis minorum. *l. tutor qui repertorium. 7. ff. de administ. tutor. l. tutores. 24. C. eod. l. veteris. 13. fin. C. arbitr. tutela.* Ratio est à parte tutorum & curatorum, ne incidant in suspicionem furti rerû pupillarium, & quasi suspecti ab officio removeantur, pœnisq; legitimis subjaceant, ac perpetuâ maculâ infamiæ notentur. *d. l. veteris. 13. §. 1. C. arbitr. tute.* Ratio verò à parte pupillorum & minorum est, ut absq; difficultate bona sua à tutoribus & curatoribus consequi possint. *d. l. 13. in princ.*

(2.) Patroni fisci in bonis proscriptorum. *l. si quando 3. C. de bonis vacantibus.* Rationem reddit textus in *l. si quis. 7. C. de bonis proscriptor. ne quid rei privatæ commodis per gratiam atq; collusionem furto subducatur.*

(3.) Orpha-

(3.) Orphanotropho, quibus hospitalium administratio committitur, *l. orphanotrophos. 22. C. de Episcop. & cleric. ubi & Ratio redditur, quia sunt pupillorum quasi tutores, adolescentum verò quasi curatores, & eorum funguntur officio. Novel. 131. cap. 15.*

(4.) Executores ultimarum voluntatum. Ratio est, quia & hi indicare debent bona ad petitionem heredis vel alterius cuius interest. Ergò consultum est, ut ea describi curent, *arg. l. cum apud veteres. 10. §. 1. ibi: presentibus tabulariis signare. C. de bonis auctorita. jud. possid.*

(5.) Usufructuarii omnium bonorum. Ratio est, quia finito usufructu res est restituenda. Et favore heredis proprietarii describenda sunt bona, ut sciri possit, an usufructuarius usus fuerit boni viri arbitrio, an dissipaverit, aut rem pejorem fecerit, an & plena restitutio bonorum ab eo facta fuerit. *l. 1. §. rectè. 4. ff. usufructuar. quemad. cav.*

(6.) Curator furioso datus *l. de creationibus. 27. C. de Episcop. audient. l. cum furiosus. 7. §. & si quid. 5. versic. Et inventario. C. de Curator. furioso.*

(7.) Curator ventri datus. *l. 1. §. curatore. 26. ff. de ventre in poss. mitten.*

(8.) Curator bonis seu hereditati jacenti datus. *l. 1. ff. de curato. bonis dan. junctà l. 1. §. curatore. 26. ff. de vent. in possess. mitt.*

(9.) Creditores in bonis debitorum. *l. cum plures. 15. de rebus auctor. jud. possid.*

(10.) Uxor superstes in bonis mariti, in quibus post ejus mortem, ob dotis restitutionem jus retentionis habet. Jure Saxonico, si vidua plus quam pro dotis quantitate occupavit, vel omnium bonorum administrationi sese immiscuit, tum de rebus hereditariis defuncti mariti inventarium conficere, vel eo deficiente, mediante juramento de omnibus rationem reddere debet. Rationem elegantem habet. *Coler. in process. exec. p. 1. cap. 2. n. 233.* Ne, inquit, possessionis occasione, & sub prætatu retentionis totum dilaceret patrimonium, dumq; participi reliquarum facultatum nocere cupit, sua etiam simul jura

G

pricipi

præcipitet. *arg. l. meminimus. 2. in pr. C. quan. & quibus quarta pars.*

(11.) Episcopus & alius prælatus quilibet in bonis ecclesiarum, aliisve quibus præponitur. Ratio est, ne, si inopinatus forsitan transitus contingat, aut res ecclesiarum diminutionem, aut Episcopi res propriæ importunitatem patiantur. *Can. De Syracusana. 13. distinct. 28. cano. manifesta. 20. caus. 12. q. 1. l. nulli. 28. §. cum autem. 2. C. de Episcop. & Cleric.* Refertur huc potest Constitutio Ecclesiastica Serenissimi Electoris Saxonie de anno 1580. in generalarticuln cap. 42. von Inventario vnd Registern des einkommen der Pfarr. ubi ita disponitur: die Inventaria der Kirchen vnd Pfarrern / sollen von den Erb vnd Lehnherren vnd Kirchvätern fleißig verzeichnet vnd gehalten / vnd darauß gesehen werden / daß die nicht verrueck / oder entgenst / vnd die abziehende / oder der verstorbenen Pfarrer erben an Korn oder andern getreidich zu Felde / in der scheunen oder auffm bodē / auch stroh / hew / vieh / vñ andern so viel lassen / als ihnen eingereumet / vnd sie im anziehen funden / damit solches der newe anziehende Pfarrer zum Anzug vnd anrichtung seines haushaltens also finden vnd haben möge / etc.

(12.) Quilibet alii rerum aut negotiorum alienorum administratores, ut argentarii, factores, procuratores, negotiorum gestores, &c. Hi enim omnes designationem aliquam probabilem conficere debent. *arg. l. 1. §. officio. 3. ff. de tutela & ration. distrab.* Ratio, quoad hosce omnes est, quia tenentur reddere rationes administrationum suarum. E. tenentur ad inventarii quandam confectioem, hoc enim est caput rationis reddendæ, cum per illud fiat facilior rationis redditio. *arg. d. l. 1. §. officio. 3. ff. de tutela & rationibus.*

LXXIII.

Curator igitur ad litem datus, inventarium conficere non tenetur.

Ratio (1.) est, quia officium ejus non consistit in administratione. *l. ad protegendam. 3. C. de in lit. dando tutore. nec ei rectè solvitur. l. hoc jure. 85. ff. de solution.* (2.) quia id colligi potest ex ordinatione.

dinatione Camera par. 1. tit. 75. ubi formula proponitur curato-
ris in litem nec tamen in ea ulla fit mentio inventarii, quod
praecul debita factum fuisset, si haec curatori confectio, inven-
tarii necessaria foret.

LXXIV.

Contraria inventario sunt (1.) omnia quæ for-
mæ constituendi inventarii refragantur.

Arg. l. fin. §. Sin verò. 12. ibi: secundum formam. C. h. t. Nov. 1. cap. 2.
ibi: secundum hanc figuram. Ratio est, quia formâ non observatâ,
totus actus corruit. l. non dubium. §. C. de legibus. l. si unus. 12. C. de
testament.

LXXV.

(2.) Dolus heredis in hereditate commissus.

Arg. l. fin. §. licentia. 10. versic. illo videlicet observando. C. h. t. Nov. 1.
cap. 2. §. 1. versic. ita ut supervenientibus. Ratio est, quia quamvis sit
præsumtio pro inventario, si tamen constat, heredem fraudu-
lenter egisse, & quædam omisisse in inventario, contraria præ-
sumtio oritur, etiam adhuc alia eum suppressisse, quia semel
malus in eodem genere mali, semper præsumitur malus. C. se.
mel. De R. I. in 6. Ideo creditores vel legatarii admittuntur, ut vel
proben legitimis modis, vel heredi juramentum deferant. Vid.
sup. Conclus. 46.

LXXVI.

(3.) Renunciatio ab herede in sui præjudicium
facta.

Tex. in l. fin. §. 1. Et §. fin. autem. 14. versic. cum enim gemini. ibi:
electionem ei damus. C. h. t. Ratio est, quia omnes habent licentiam,

G 2

his

His quæ pro se introducta sunt, renunciare. *l. si quis. 29. C. de p^{ro}h^{ib}is.* Ratio renunciationis potest esse hæc, quod fortè heredi religiosum, defunctoq; probrosum videri possit, vires hereditarias in vulgus dispalescere.

LXXVII.

(4.) Jus contrarium, puta lex, seu consuetudo, per hanc enim inventarii solennia non tantum minui, sed si ita usus sit, in totum etiam tolli possunt.

Ratio est, quia hæc solennia sunt à jure civili introducta. E. alio jure facile tolli possunt. *arg. S. sed naturalia. ii. l. de jure nat. gent. & civ.*

LXXVIII.

(5.) Prohibitio seu remissio testatoris: Facta scilicet in præjudicium legatariorum, (a) non verò Creditorum, (b)

(a) Ratio (1.) Quia testatori nusquam interdictum reperitur. *arg. l. nec non. 28. S. quod ejus. 2. ff. Ex quibus caus. majores.*

(2.) Quia testator non tantum rei suæ alii traditæ & relictæ legem dicere non prohibetur. *arg. l. in traditionibus. 48. ff. de pact.* Sed etiam liberum ei est, legatario ne hilum quidem relinquere, vel rem legatam, semel relictam, contrariâ voluntate expressâ adimere. *l. quod si iterum. 4. ff. de admen. legat.*

(3.) Quia ipsius testatoris vel heredis interesse potest, ne fortè secreta patrimonii & suspectum æs alienum pandatur. *arg. l. 2. ibi: ne secreta patrimonii. C. de alimen. pupillo præstand. l. 2. ver sic. quid enim tam durum. C. quando & quibus quarta pars. l. veteris. 13. fin. S. 1. ibi: nisi testatores. C. arbitr. tutela. Nov. in epilogo ibi: deficientes cum securitate moriantur.* Remissio tamen hæc revocanda est ad æquitatem.

rātem, hoc est, ut omnis dolus absit. arg. l. ita autem. §. Juliano.
7. ff. de administ. tutor. l. si servus, 119. ff. de legat. 1. l. cum tale. 72. §. quid
ergo. 3. ff. de conditio. & demonstration. nec aliter fortē magistratui vi-
sum fuerit. arg. l. utilitatem. 10. ff. de confirm. tutore. l. Quintus. 7. versis.
nec tamen semper. ff. de annuis legat. l. & si quis. 14. §. hac actio. 6. ff. de re-
ligios. & sumt. funerum.

(b) Ratio est, quia testator non potest jus quæsitum cre-
ditorum deterius facere. l. 7. C. debitorem venditionem pignoris, ut
pote qui fundatam intentionem habent contra he-
redem, ut obligetur in solidum.



Præstantissimo

Et

Literatissimo

Dn.

RESPONDENTI

Q Visnā alabastralis lepido sub corpore Cyeni
Delituisse neget membra TONANTIS
HERI,

Ecquisnam HEBÆT celestia mattya succi
Exiguam Phialæ claudere retur ebur.

Cum Labyrinthæ faciem spirantia rupis

JURA REPERTORI, (quæ nigricante peplo
Noctis HERÆE obruerat furiosa licentia,) cælo

Iam pateant, Thesium tegmine clausa brevi

Tegmine, quod Venerum genialibus ebriat auris

Arg.



Atq; Minervali proluit imbre DICE,
Tegmine, quod CONSI radiosa palatia mōstrat,
Caligenūmq; simul dia habitacula DEUM.
Salve OPUS o prelustre, novires amula cali,
Fallor! an in TE sunt omnia plena DEUM
Majestate catā, vel si mortale quid istuc
Pandere se Thesum lata per arua vides,
Hoc DIVUM aspersere manus, ut clanculū odorēt
Subne opere humano nos latuisse queant,

Amoris ergò

L. M. Q.

applaudēbat

Joannes Timæus Cizensis

Misnicus.

F I N I S.



TESTAMENTUM

Permittit & confirmat

STEFANUS DE WILHELMIS

WILHELMUS DE WILHELMIS


WILHELMUS DE WILHELMIS

WILHELMUS DE WILHELMIS



VOM







47

E DEO.

idicæ,

ARIO

S,

nal. C. de Jure

cap. 2.

Juridicæ

KELTHAUS

bjicit,

et

r Cizensis.

ditorio Jure-

us DANUS.

I.

